

*dat cuncta moteri*, ideo vno, de qua loquimur, non solum est quid creatum, quia est actio transiens, sed etiam quia est actio, motum, vel mutationem praesupponens.

Tertia via ad hoc idem sumi potest ex eo, quod talis actio aliquam nouitatem includit. Nam omne quod non est semper, aliquam nouitatem importat, vel aliquam nouitatem includit. Cum ergo incarnatione Verbi non fuerit ab aeterno, sed incoperit in aliquo tempore, sine nouitate esse non potuit: Et quia omnia ista non possunt competere nisi creaturae, nec possunt dicere nisi quid creatum, oportet quod vno, de qua loquimur, sit quid creatum.

Ostendo vunionem, de qua loquimur, esse quid creatum, prout est quædam actio, volumus hoc idem ostendere, prout est quædam relatio. Ad cuius evidentiam sciendum, quod Philosophus in 5. Metaphys. cap. de relatiis vult, quod aliqua dicuntur relativa, quia aliqua referuntur ad ipsam, vt intellectum, & scitum. Res enim intellectæ, & scitæ referuntur ad scientiam, non quia res ipsæ dependeant à scientia nostra, sed quia scientia nostra dependet à rebus, propter quod tales non referuntur, nec dependet per relationem, vel dependentiam, quæ sit in rebus, sed per relationem, & dependentiam, quæ est in scientia nostra. Ideo res ignorata potest fieri scita, nulla mutatione facta in re scita, sed sola mutatione facta in nobis, idest in scientia nostra. Tales autem sunt omnes relationes inter Deum, & creaturam, quia non refertur Deus ad creaturam, per relationem, quæ sit in eo realiter, sed per relationem, quæ realiter est in creatura. Si ergo Deus creatione creet creaturam, illa creatio, siue vt est actio transiens, siue vt est relatio nouitatem aliquam importans, non est in Deo realiter, sed in creatura. Et sicut Deus creat creaturam, & producit creaturas nouas, per nouam creationem, quæ est in creatura, sic Deus tota Trinitas vniuit totam humanam naturam Verbo in nouissimo tempore, vt quando venit plenitudo temporis, per vunionem, quæ est realiter in humana natura, vel quæ est realiter in Christo, vt est homo, & vt habet naturam

Vnionem, vt  
est relatio,  
esse quid  
creatum ostē  
datur.

Arist. 5. Me  
taph. cap.  
de relati-  
vis.

A humanam, sed in ipso Christo, vt est Deus, secundum rationem, & secundum nostrum modum intelligendi; quia non possumus intelligere aliquid referri ad aliud, nisi intelligamus illud aliud referri ad ipsum. patet autem quod potest aliquid referri ad aliud, non per relationem, quæ sit in ipso, sed per relationem, quæ est in alio: sicut ignis potest calefacere stupram non per calefactionem, quæ est in igne, sed per calefactionem, quæ est in stuppa: nam loquendo de actione transiente idem est actio, & passio, & illa actio, & passio non est in agente, sed in paciente, & tamen verè agens agit, & patientis paritur, per actionem, & passionem, quæ de necessitate sunt in paciente, non autem sunt de necessitate in agente. Motus enim, licet sit actus, tamen per se loquendo non est actus mouentis, sed mobilis. Verè enim, & de nouo, non ab aeterno, sed in tempore fuit vnitum Verbum humanæ naturæ, non per vunionem, quæ sit in Verbo, sed per vunionem, quæ est in humana natura, cui non repugnat nouitas, vel noua mutatio. Hæc autem repugnat ipsi Verbo.

Dicemus ergo, quod sicut Deus Trinitas ex tempore, & de nouo verè incœpit mouere creaturam, & verè mouet eam, non per motum, vel mutationem, quæ sit in ipso Deo: sed quæ est in creatura: sic & Dei Verbum, vel Dei Filius, ex tempore, & de nouo verè factus est homo & verè vniuit sibi naturam humanam, non per mutationem, quæ sit realiter in ipso Verbo, sed quæ est in humana natura, vel quæ est in Christo homine, vt habet naturam humanam.

D Aliqui tamen Doctores vocauerunt omnes relationes Dei ad creaturam, vel è contra, secundum dici, quia videbant tales relationes esse in Deo, solum secundum rationem, quia in eo secundum rem nulla nouitas esse potest. Ideo dixerunt omnes tales relationes esse secundum dici, credentes illas duas distinctiones factas de relatiis, quia quædam sunt relativa secundum rem, quædam secundum rationem, quædam sunt relativa secundum esse, quædam secundum dici, fore vnam & eandem distinctionem: crediderunt enim omnia relativa secundum esse fore

Potest vñ  
referri ad  
aliud, non  
per relatio  
nē, quæ sit  
in ipso, sed  
per relatio  
nē, quæ sit  
in alio.

In actione  
transiente  
idem est a-  
ctio & pas-  
sio, & vice  
que est in  
patiente.

Relations  
secundū rē  
& secundū  
ratio nē: nō  
sunt exdem  
cū relatio-  
nibus secun-  
dūm esse, &  
secundūm  
dici, vñ  
quædam paraue-  
runt sed vñ  
rē, & dif-  
ferentes.

fore relativa secundum rem, & omnia relativa secundum rationem fore relativa secundum dici. Sed sic loquentes ignorant vim verborum. Illae enim duæ distinctiones de relatiis sunt variae, & diuersæ ab inuicem, quia aliquid est relatiuum secundum esse, & tamen est relatiuum secundum rationem, & aliquid est relatiuum secundum rem, & tamen est relatiuum secundum dici. Nam haec distinctio, quod quædam sunt relativa secundum esse, quædam secundum dici, potest fieri de alijs praedicamentis, quia quædam sunt substantiae secundum esse, quædam secundum dici; & quædam qualitates secundum esse, & quædam secundum dici, & quædam quantitates secundum esse, & quædam secundum dici. Illa enim sunt talia, vel sunt in tali praedicamento secundum esse, quæ secundum illud, quod sunt, habent esse in praedicamento illo. Et illa sunt secundum dici, quæ secundum id, quod sunt, habent esse in alio praedicamento, tamen vocantur talia secundum dici, quia habent aliquem modum illius praedicamenti, à quo denominantur, ut scientia secundum id, quod est, est in praedicamento qualitatis, tamen quia referatur ad scibile, & dependet à scibili dicitur relatiuum secundum dici. Sic substantię secundum esse sunt illę, quæ sunt in praedicamento substantię, sed substantię secundum dici possunt vocari, quæ sunt in alijs praedicamentis, prout habent quendam modum substantię, secundum quem modum omnis essentia est quædam substantia, prout subiicitur considerationi ipsius intellectus, cuius obiectum est quod quid est. Sic etiam qualitates secundum esse sunt illa, quæ sunt in praedicamento qualitatis; sed qualitates secundum dici possunt vocari omnia illa, quæ habent aliquem modum qualitatis, secundum quem modum omnes differentias etiam substanciales sunt quædam qualitates, quia secundum Porphyrium praedcantur in quale, & non in quid. Differentia enim substancialis, licet secundum rem sit quid, habet tamen quendam modum qualem, quia praedicatur denominativè, quia homo non est anima, sed animatus. Sic etiam quantitates secundum esse, vocantur illa, quæ sunt in praedica-

Distinctio secundum esse, & secundum rationem, potest fieri in alijs praedicamentibus à relatione.

Declaratur distinctio secundum esse, & secundum rationem.

Differentia substancialis secundum re est quid & secundum modum est quale.

A mente quantitatis, sed quantitates secundum dici possunt vocari illa, quæ habent aliquem modum quantitatuum, secundum quem modum loquitur August. 6. de Trinit. c. 8. dicens: *In ipsis autem, quæ non mole magna sunt, idem est esse maius, quod esse melius.* Hoc ergo modo, quo dictum est, accipienda sunt relativa secundum dici.

Sed relativa secundum rem, & secundum rationem, talia tunc dicuntur, quando vnum relatiuum dependet ab alio secundum rem, aliud autem non dependet ab eo secundum rem, sed si dependet hoc est secundum nostrum modum intelligendi, vel secundum rationem tantum. Et ideo potest esse aliquid relatiuum secundum dici, quod est relatiuum secundum rem, ut scientia est relatiuum secundum dici, quia secundum id, quod est, non est in praedicamento relationis, sed est in praedicamento qualitatis, tamen est relatiuum secundum rem, quia realiter dependet à scibili. Sic è conuersò potest esse aliquid relatiuum secundum esse, & tamen erit relatiuum secundum rationem. Ut dominus & seruus sunt relativa secundum esse, quia verè sunt in praedicamento relationis; tamen dominus, quod est relatiuum secundum esse, est relatiuum secundum rationem, quia secundum quod huiusmodi, non realiter dependet à seruo, sed quia seruus realiter dependet à domino, ideo dominus dicitur dependere à seruo secundum rationem tantum: Dominus enim non refertur ad seruum per relationem, quæ sit realiter in domino, sed quæ est realiter in seruo. Nam quia intellectus noster non potest intelligere, quod seruus referatur ad dominum, nisi intelligat è conuersò, quod dominus referatur ad seruum; ideo relatio domini ad seruum dicitur esse secundum intellectum, vel secundum rationem tantum. Fecimus autem hic digressionem quandam propter quosdam Doctores, hic notantes eadem relativa, quæ vocantur secundum esse, & secundum dici, vocari secundum rem, & secundum rationem.

Declaratur distinctio secundum rem, & secundum rationem.

Potest aliquid estre relatiuum secundum dici, quod est relatiuum secundum re.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum patet solutio per iam dictas

**A**cta , quia Deus non dicitur vniuersus naturę humanę per vniōnem , quę sit in ipso Deo realiter , sed per vniōnem , quę realiter est in humana natura , vel quę est in Christo homine , nō ratione personę dicitur vniōnem , in qua realiter est p̄fata relatio , vel p̄fata vniōnem .

Ad secundum dicendum , quod inter Deum & creaturam non potest esse relatio equiparantia , quia omnes relationes creaturarum ad Deum in creaturis sunt secundum rem , in Deo autem secundum rationem tantum .

Ad tertium dicendum , quod inter Deum & creaturam nihil potest esse medium secundum rem , sed solum secundum rationem ; sed inter Deū , & aliquam creaturam potest aliquo modo esse aliqua creatura media , prout vna creatura dicitur esse propinquior Deo , quam alia , secundum quem modum loquitur August. 12. confes. *Duo fecisti Domine ; vnum prope te , & alterum prope nihil .* Cū ergo quæstio sit non de aliqua creatura , sed de omni creatura , quia quæritur .

Vtrum vniōnem creaturæ ad Deum sit creatura , quæcunque sit illa , cū nulla possit esse media inter Deum , & omnem creaturam ; argumentum peccat in materia , & supponit falsa .

Ad quartum dicendum , quod vniōnem Dei ad humanam naturam facta est , per vniōnem , & assumptionem , qua Dei Filius vniuit sibi , & assump̄t sibi naturam humanam : tamen illa vniōnem non oportet quod sit facta per aliam vniōnem , vel per aliam assumptionem , quia tunc esset abire in infinitum : sed secundum regulam Philosophi : Quotiescumque est abire in infinitum , standum est in primis . Natura ergo humana est vniata Verbo per vniōnem , sed illa vniōnem non comparatur ad Verbum per aliam vniōnem , sed per seipsum : quod si quæratur in quo sit illa vniōnem realiter , vt patet per dicta in solutione principali , siue illa vniōnem accipiatur , vt actio transiens , siue vt relatio , secundum rem , est in humana natura , in Ver-

bo autem non potest esse secundum rem , sed secundum rationem tantum .

**B**ut dicitur vniā natura humana , non comparetur ad ipsam per aliā vniōnem , sed per seipsum . & sic non datur processus in infinitum .

### Resolutio Dub. I. Lateralis.

*Verbi vniō ad humanitatem p̄acellit omnes alias vniōnes , comprehensione , immediactione , intimitate , inseparabilitate , & perpetuitate : excepta tamen vniōne diuinarum personarum in substantia , qua istam , & omnes alias vniōnes antecellit , identitate , simplicitate , & p̄adicatione .*

**D**icitur A teralem , in qua quæratur . Vtrum illa vniō Verbi ad natūram humanam fuerit maxima inter omnes alias vniōnes : respondet Bernard.lib. 5. de considerat. ad Eugenium , dicens : *Ergo inter omnia , qua vnum reētē dicuntur , arcem tenet vniitas Trinitatis , quae tres persona una substantia sunt , secundò illa vniō p̄acellit , qua è conuersò tres substantiae in Christo una persona sunt .* Duo ergo continet responsio Bernardi , quæ volumus in p̄senti solutione declarare , videlicet , quod vniō humanę naturę ad Verbum excellit omnes alias vniōnes , p̄ter vnitatem triū personarum in sua substantia , quę vniō triū personarum in vna substantia , est maior vniōne triū substantiarum in vna persona Verbi . Primum autem declarabimus quinque vijs , ut prima via sumatur , ex aliarum vniōnum comprehensione . Secunda ex ipsa immediactione . Tertia ex intimitate . Quarta ex inseparabilitate . Quinta ex perpetuitate .

Prima via sic patet . Nam illa vniō creaturę ad Deum est maior , quę continet alias vniōnes , & quę non potest esse , sine omnibus alijs vniōibus creaturę ad Deum ; assignauimus autem supra sex vniōnes naturę creaturę ad Deum , quarum tres sunt generales omnium creaturarum , quia Deus coniungitur cuilibet creature , per essentiam , p̄sentiam , & potentiam . Quarta vniō est iustorum ad Deum in via , quę est per gratiā habitualem . Quinta est bonorum in patria , quę est per gloriam , siue per visionem apertam , vel per gratiam consummatam . Sexta & ultima est , per vniōnem personalem , siue per gratiam vniōnis humanę naturę in persona

Quinque  
vijs obediuntur , vniōne  
Verbi ad natūram excelle  
lere omnes alias vniōnes .

na Verbi, de qua vnione est præsens quæstio, quæ vno est solius hominis Christi; cùm ergo hæc sexta, & ultima vno contineat, & includat omnes alias vniiones, consequens est, ipsam esse maximam, & esse maiorem omnibus alijs vniunionibus prænarratis. Nam si natura humana in Christo erat vnta Filio Dei in vnitate personæ, constat, quòd in illo homine erat Deus per præsentiam, potentiam, & essentiam, quia hoc modo est in omnibus rebus. Erat & quartò Deus in homine, non solum per gratiam habitualem, sed etiam per gratiam quasi naturalem, vt suprà patuit per Augustinum, quia sic erat ille homo etiam existens viator, plenus gratia habituali, vt peccare non posset. Quintò, Deus erat in illo homine per gratiam comprehensionis, quia dum erat viator, erat etiam comprehensor. Sexta ergo vno, quæ est per vniōem perlōnalem, quæ competit soli homini Christo est maxima secundūm continentiam, & inclusionem, quia continet, & includit omnes alias vniiones præfatas.

Secundo, huiusmodi vno est maxima ex immediatione. Nam quantò aliquid magis immediatè vnitur alij, tantò illa vno est maior, & potior: Et quia hoc modo vnitur quodlibet suppositum cum sua natura, ideo propter immediationem, omnis talis vno debet dici maxima. Nullum enim est medium, nec colla, nec clavis coniungens naturam suo supposito, sed eo ipso, quod aliquis est suppositum in tali natura, vel supplet vices suppositi in tali natura, oportet talem naturam vniūi immediatè tali supposito.

Sed dices, quòd saltem illa vno erit tale medium. Ad quod dici potest, quòd vno, vt dicit relationem, magis sequitur coniunctionem suppositionis diuini cum natura humana, quam precedat ipsam: Nam ad relationem non est propriè motus, nec mutatio.

Ad relationem non est propriè motus. Primo ergo intelligemus, quòd suppositum diuinum coniungatur ad naturam humanam, vt est aliquid absolutum, & vt est aliquid, & postea intelligimus, quòd ex huiusmodi coniunctio-

Aegid. super iij. Sent.

ne, quæ est quid absolutum, & est aliquid, resultet relatio illa, secundūm quam, est ad aliquid. Ut in hoc sequamur viam Augustini 7. de Trinitat. cap. i.

D P. Aug.  
tom. 3.

quia *omnis essentia, quæ relativè dicitur, est etiam aliquid, excepto relatiuo*. Nihil

ergo interponit se tanquam medium inter suppositum, & naturam diuinam vniūam supposito. Tota ergo Trinitas hoc fecit, & hoc egit, quòd ~~vniūi~~ naturam humanam supposito Verbi.

Hæc actione resultat illa relatio, ~~quæ est vero~~ vt vno, hoc modo prius dicetur quid ab-

solutum, quām quid relatiuum, & prius dicet aliquid, quām ad aliquid. Magna

enim gratia facta fuit illi homini, quando humana natura, per quam est homo,

assumpta fuit in vnitatem personæ Verbi, vel personæ Filij Dei, vt idem esset

filius hominis naturalis, qui & Dei Filius

naturalis, vt potest patere per Augustin.

in Enchirid. & in 13. de Trinit. cap. 19.

vbi ait: *In rebus enim, per tempus ortis, illa summa gratia est, quòd homo in vni-*

Tom. 3. *tate personæ, coniunctus est Deo.* Erit er-

go hic ordo, secundūm nostrum modum

intelligendi, quia prius intelligimus actio-

neni diuinam vniuentem immediatè natu-

ram humanam supposito Verbi: & postea

ex hac actione vniente naturam huma-

nam supposito Verbi, vt huiusmodi na-

tura est quid absolutum, & est aliquid,

resultabit vno, quæ est relatio, & vt est

quid relatiuum, & vt est ad aliquid. Nam

actionem agentis, & efficientis non possu-

mus à tali coniunctione excludere, &

quod ait Philoſophus de coniunctione

materiæ, & formæ, vel potentiæ, &

actus, quòd non habent causam medium

niſi motorem, vel efficientem, Dicemus

de coniunctione diuini suppositi cum na-

tura humana, quod non habuit causam niſi totam Trinitatem hæc efficientem,

vel appropriate Spiritum Sanctum hæc

agentem.

Tertiò, quia hæc magnitudo vniōnis, ex immediatione videtur competere cui-

Modus vniōnis ex inti-

mitate est proprius v-

nioni Verbi.

R omnes

*Deus est in  
timorerez  
tuz, quim  
creatura  
sibi.*

omnes alias vniones animarum creatarum, cum suis suppositis creatis. Nam suppositum Filij Dei, quod est vnitum humanæ naturæ, non est suppositum quocunque, sed est suppositum, quod est Dei Filius, & verus Deus, qui est intimior creaturæ, quam creatura sibi, iuxta illud Augustini 3. Confession. *Deus est intimior nobis intimo nostro, quia magis est Deus intimus rei, quam res sibi, & non solùm Deus est magis intimus rei, quam res sibi, sed etiam est magis intimus rei, quam quod est intimum in re, sit intimum rei.* Ex ista ergo tanta B intimitate dicemus istam vniōnem superate omnes alias vniones, post illam vniōnem supremam sanctæ, & indiuīduæ Trinitatis.

Quartus autem modus magnitudinis istius vniōnis potest sumi ex eius inseparabilitate. Nam Verbum postquam assumptum animam, & carnem, nunquam fuit separatum nec ab anima, nec à carne. Fuit enim in morte Christi separata anima à carne, vel à corpore, sed per huiusmodi mortem non fuit separatum Verbum, nec ab anima, nec à carne; propter quod, si vno inseparabilis est maior separabili, hęc vno propter inseparabilitatem, maxima dici debet.

Quintus autem modus sumi potest ex perpetuitate, vel immutabilitate persona Verbi. Nam natura à suo supposito potest separari, per corruptionem suppositi: quilibet enim purus homo habet suppositum, vel personam corruptibilem, & ideo propter corruptionem suppositi, vel personæ, natura aliqua non est coniuncta semper suo supposito, vel suæ personæ: sed quia suppositum Verbi simpliciter, & secundum se, est incorruptibile, natura humana saltem, quantum ad omnes suas partes, semper fuit coniuncta supposito Verbi, vt hoc modo hęc vno superet omnes alias vniones.

Ostendo, quod vno Verbi ad naturam humanam excedit omnes alias vniones, excepta vniōne Trinitatis, volumus ostendere, quod hęc vno, quam ponimus in Christo, quæ est trium substantiarum in una persona, non est tanta, quanta est illa vno, quæ est trium personarum in una

A substantia. Quod possumus tripliciter declarare. Primo ex unitate, & identitate illius diuinæ substantiæ, vel naturæ. Secundo ex simplicitate eius. Tertio ex mutua prædicatione, quam habet illa natura, etiam in abstracto, in qualibet trium personarum.

Prima via sic patet. Nam vno illarum trium personarum est in vna, & eadem natura, at verò vno plurium naturarum in Christo non est in vna, & eadem natura, sed in pluribus naturis etiam, vt plures sunt, quia in Christo est huiusmodi vno plurium naturarum, reseruatis proprietatibus vtriusque naturę.

Secunda via ad hoc idem sumitur ex summa simplicitate, quæ est in illa vniōne illarum trium personarum. Nam ibi non est distinctio nisi per relationes, relatio autem habet singularem modum ab omnibus alijs, quia omnia alia à relatione, vel omnia absoluta non faciunt distinctionem, nisi cum distinctione faciant compositionem. Propter quod vbiunque est distinctio absolvitorum, oportet ibi esse aliquam compositionem, sed relatio ita distinguit ab opposito, quod nullam compositionem facit in proprio supposito, & ideo, vt communiter dicitur, & bene, persona in diuinis est ita simplex, sicut essentia; ergo propter maximam simplicitatem in diuinis personis, maior est illa vniitas trium personarum in vna essentia, quam trium substantiarum in vna persona Christi.

Sed dices, cum ita sit simplex persona diuina sicut essentia, cum facta sit in Christo vno naturarum in vna persona simplicissima, & facta sit in Trinitate vno trium Personarum in vna essentia simplicissima, videtur, quod illæ vniones quandam equalitatem habeant ad inuicem. Ad quod dici potest, quod vno diuinorum personarum in vna essentia superat vniōnem naturarum in vna persona Christi, quia persona diuina, sic unitæ, sunt simpliciter idem, cum illa essentia, vel natura diuina, in qua vniuntur, sed plures naturæ in Christo non sunt simpliciter idem, cum persona Verbi, natura enim humana non est simpliciter idem, cum tali persona.

Tertia

*Omnia alia,  
excepta re-  
latione, si  
faciunt di-  
stinctionem  
facient co-  
positionem.*

*Obiectio.*

*Solutio.*

Tertia autem via ex mutua prædicatione, quam habent ad inuicem in diuinis persona diuina cum natura diuina, etiam in abstracto, de leui patet. Nam quælibet persona diuina est sua Deitas, sed persona Verbi, in qua facta est vnio naturæ humanae ad diuinam, non est sua humanitas. Est ergo hæc tertia via declarativa secundæ viæ. Nam licet persona Verbi, in qua facta est vnio plurium naturarum sit ita simplex, ut essentia diuina, in qua facta est vnio plurium personarum; ipsæ tamen naturæ vnitæ in persona Verbi non sunt sic idem cum persona Verbi, sicut sunt idem tres personæ, cum natura diuina, siue cum Deitate, quia quælibet illarum personarum est ipsa natura diuina, & ipsa Deitas; persona tamen Verbi non est ipsa humanitas, nec natura humana.

### RESP. AD ARGUMENTA Primæ Dub. Lateralis.

**Responsio communis.** Ad primum dicendum, quod scripta communia quasi concedunt hoc argumen-  
tum. Volunt enim, quod in vniione plu-  
rū naturarum, facta in persona Christi,  
est duo considerare, videlicet ipsas natu-  
ras, scilicet diuinam, & humanam simul  
vnitas, & ipsam personam Verbi, in qua  
facta est talis vnio. Si consideretur perso-  
na, in qua talis vnio est facta, sic vnio est  
maxima, quia persona illa, est ita simplex  
sicut diuina essentia; sed si considerentur  
ipsa vnita sic nō est maxima, vt eadē scri-  
pta cōmunia dicunt. Possimus tamen dice-  
re, quod etiam quantum ad ipsa vnitæ illa  
vnitas est maxima, post vniōnem sanctissimæ.

**Responsio Aegidij.** Quod ista vnio est etiam maior alijs ratio-  
ne naturæ naturæ, quia na-  
tura diuina est magis intima na-  
tura huma-  
na, quam ip-  
sa fibigende in hoc sen-  
su est falsa minor argu-  
menti.

Trinitatis: quia Deitas, quæ est vnitæ na-  
turæ humanae, magis est intima ipsi na-  
turæ humanae, & cuilibet naturæ creatæ,  
quam ipsa natura humana sibi, vel quam  
quælibet natura creata sibi; vt supra pa-  
tit per August. 3. Confess. Est ergo ista  
vnio naturæ diuinæ ad humanam in-  
Christo maior omnibus alijs, post vniō-  
nem sanctissimæ Trinitatis, quia continet  
in sevniōnem personalem, quam non con-  
tinent aliæ.

Ad secundum dicendum, quod maior & minor compositio non excludunt pro-

Aegid. super iij. Sent.

A funditatem, & intimitatem diuinæ perso-  
næ in humana natura, nec excludunt pro-  
funditatem, & intimitatem diuinæ naturæ  
ad naturam humanam, prout p̄fata  
duæ naturæ sunt vnitæ in vna persona  
Verbi. Potest enim vna creatura exclu-  
dere aliam creaturam ab intimitate alicuius  
creaturæ, sicut vna forma contraria  
ab intimitate propria subiecti excludit  
omnem formam contrariam, sed nulla  
creatura potest excludere diuinam natu-  
ram, & diuinam personam ab intimitate  
cuiuslibet creature.

B

### Resolutio Dub. II. Lateralis.

Quinque differentiae assignantur inter  
vniōnem, & assumptionem. Vnio enim  
dicitur, vel ad se, vel ad aliud, sed as-  
sumptio dicitur tantum ad se. Assum-  
ptio dicit viam, & Vnio dicit terminum.  
Assumptio est prior, & Vnio po-  
sterior. Assumptio importat actionem,  
& passionem, sed vnio præter ista im-  
portat relationem. Assumens non potest  
dici assumpsum, sed vniens ad se, po-  
test dici vnitum.

D id autem, quod vltierius que-  
rebatur, de differentia vniōnis, &  
assumptionis. Dicendum, quod,  
quantum ad p̄fens spectat, possumus af-  
signare quinque differentias inter vniō-  
nem, & assumptionem. Nam prima dif-  
ferentia sumitur ex ipsa generalitate,  
quia vnio est generalior, quam assumptio.  
Nam omnis assumens est vniens, tamen  
non ē conuersò, quia non omnis vniens  
est assumens. Pater enim, & Spiritus San-  
ctus vniuerunt naturam humanam per sonum  
Filij, & ipsa persona Filij vniuit illam  
eandem naturam sibi, sed Pater, & Spiritus Sanctus, sic vniuerunt naturam huma-  
nam Filio, quod non assumperunt eam,  
sed Filius sic vniuit naturam sibi, quod  
etiam assumpsit eam. Causa autem & ra-  
tio istius maioris generalitatis, quam ha-  
bet vnio super assumptionem, ex hoc su-  
mitur, quia vniire potest esse dupliciter,  
vel ad se, vel ad alium, sed assumere non  
potest esse, nisi ad se: hoc enim dicit assu-  
mere, quod ad se sumere.

Maior, vel  
minor com-  
positio non  
excludit  
profundita-  
tem, & esse  
intimum di-  
uinæ perso-  
næ, & natu-  
ra in huma-  
nitate, sc̄cū  
dum quam  
ista vniō  
Verbi exce-  
dit alias,  
excepta v-  
niōne diui-  
narum per-  
sonarum.

Quintupli-  
citer differe-  
ntia vniō ab as-  
sumptione:

R a Secun-

Vniō dici-  
tur, vel ad  
se, vel ad  
alium, sed  
assumere di-  
citur tan-  
tum ad se

Asumptio  
sicut via  
ad vniōē  
& vnio diei  
terminus assu-  
mptionis.

Asumptio  
est prior v-  
nione.

Secunda differentia assumptionis, & vniōē potest sumi ex significatione vocabuli. Nam vno de se videtur importare ipsam coniunctionem, vel ipsam vniōē vnitorem, quae se habet quasi terminus ad assumptionem. Et assumptio videtur se habere, quasi quedam via ad hunc terminum. Nam hoc est assumere, quod ad se sumere, & ex hoc aliquid sibi vnit. Propter hoc assumptio videtur esse quasi quedam via ad vniōē, & vno videtur esse quasi quidam terminus huius viæ.

Ex hac autem secunda differentia potest sumi tertia differentia. Nam cum via, quantum est de se, semper præcedat terminum, assumptio respectu vniōē se habebit, ut quid prius, & ut quid præcedens, & vno respectu assumptionis, se habebit, ut quid posterius, & ut quid sequens. Et si ista prioritas, & posterioritas non est semper duratione, vel tempore, est tamen semper origine, vel natura, id est naturali intelligentia. Nam in uno, & eodem instanti natura humana fuit assumpta à Verbo, & unita Verbo, tamen origine, & naturali intelligentia prius intelligitur humana natura assumpta à Verbo, & postea per huiusmodi assumptionem intelligitur unita Verbo.

Potest autem inter præfata quarta quaque differentia assignari, quia assumptio, quantum est ex parte assumentis, semper videtur importare quandam actionem, & ex parte assumpti quandam passionem. Sed vno, licet ex parte vniōē importet actionem, & ex parte vniōē importet quasi passionem, tamen præter hæc importat quandam relationem ipsorum vnitorum, per quam unita ad inuicem referuntur, licet non oporteat istam relationem esse in utroque extremorum, quia sicut dominus referatur ad seruum per dependentiam, & relationem realem, quae est in seruo, non in Domino, sic Verbum ad naturam humanam, quasi ad formam serui refertur per relationem, & dependentiam, quae est in ipsa humanitate, vel in ipsa forma serui, non autem in ipso Verbo.

Ex hac autem quarta differentia sumi

A potest differentia quinta, quia vniōē, & potissimum si sit vniōē ad se, potest dici vnitum, sed assumentis quantumcunque sit ad se sumens, non potest dici assumptum. Ininititur ergo hæc differentia quinta quartæ differentiæ. Nam quia assumere dicit actionem, ex parte assumentis, & passionem ex parte assumpti, cum per se loquendo non sit patiens, quia si agens patitur, hoc non est ut agens, sed ut patiens, ideo assumentis, secundum quod huiusmodi non est assumptum, sed vno cum hoc, quod importat actionem, importat etiam relationem, cum relativa ad inuicem referantur: vniōē, & potissimum si sit vniōē ad se, dicetur vnitum, licet assumentis non dicatur assumptum.

vniōē ad  
se potest di-  
ci vnitum:  
sed assumentis  
ad se nō po-  
test dici as-  
sumptum.

B

Ad inuicem referantur: vniōē, & potissimum si sit vniōē ad se, dicetur vnitum, licet assumentis non dicatur assumptum.

### R E S P. A D A R G U M E N T A Dubitacionis II. Lateralis.

Asumptio est  
ve via, & va-  
nio ve ter-  
minus ideo  
non sunt  
idem.

Ad primum dicendum, quod licet assumptum vniatur assumenti, tamen assumptio magis importat actionem, & habet se, quasi via ad vniōē. Vno autem se habet quasi terminus huius viæ, ut ex hoc non sit omnino idem assumptio, & vno, licet vnum terminetur ad aliud, quia assumptio terminatur ad vniōē.

Ad secundum dicendum, quod non quicquid non potest stare sine alio, vel non potest intelligi, sine alio, est idem cum illo, quia posterius non potest esse, nec intelligi sine priori, & tamen non est idem esse posterius, & esse prius, quantumcunque ergo assumptio non possit esse sine vniōē: & quia se habent ut causæ ad inuicem, quia assumptio est quasi causa efficiens vniōē: & vniōē ad se, est quasi finis assumptionis, hoc modo vnum est de intellectu alterius, vel intelligitur in alio. Differunt nihilominus præfata duo, assumptio scilicet,

D

et vno secundum diffe-  
rentias superius  
assigna-  
tas.

Est negāda  
maior argu-  
menti: ob  
instantiam,  
qua datur  
in respon-  
sione.

## ARTIC. II.

*Vtrum vno sit facta in natura.  
Conclusio est negativa.*

D. Thom. 3, p. q. 2, art. 1. Cajet. Medina. Silvius ibidem.  
Aluarez disp. 10. Suarez disp. 7. fct. 2. Ca-  
brera q. 2, art. 1, disput. 1. Vasquez  
disp. 14, per totam Argent.  
in 3. dist. 5, q. 1, art. 1.

**S**ECUNDО quæritur, in quo sit facta vno, de qua loquimur, Vtrum sit facta in natura. Et videtur, quod sic: quia quicquid constat ex duabus naturis videtur habere naturam medium inter illa, sicut mixtum, quia constat ex pluribus elementis, habet naturam medium, inter illa elementa: Christus autem constat ex duabus naturis: ergo &c.

Præterea hic loquimur de natura, vt definit eam Boet. in de Duabus naturis, quod est vnumquodque informans specifica differentia; sed secundum Philosoph. quilibet differentia addita mutat speciem, sicut in numeris quilibet unitas addita facit nouam speciem: Natura ergo humana, addita naturę diuinę, ponit eam in alia specie. Et si dicatur, quod ex illis duabus naturis, diuina scilicet, & humana, non potest constitui natura tertia, quia quilibet illarum seruat suas proprietates.

Contra; quia ex anima, & corpore constituitur natura humana tertia, tamen quilibet earum seruat suas proprietates. Nam anima, quę est natura spiritualis seruat suam spiritualitatem, & corpus suam corporalitatem, & tamen ex præfatis duabus naturis constituitur natura tertia. Pari ergo ratione ex duabus naturis in Christo poterit hoc fieri: ergo &c.

Præterea. Proprietas sequitur naturam illam, cuius est proprietas, quia ergo proprietates naturę diuinę dicuntur de illo homine, quia dicitur, quod ille homo creauit stellas, & ē conuersa proprietates naturę humanę dicuntur de Deo, quia dicitur, quod Deus est passus: ergo, vt videtur aliquid naturę diuinę est in-

Aegid. super iij. Sent.

A humana natura, & aliquid humanę naturę in diuina, quod non esset nisi ex illis duabus naturis esset conflata natura, tertia: ergo &c.

Præterea, Quando aliqua duo coniunguntur, quorum vnum incomparabiliter superat aliud, consequens est, hoc posito, quod vnum transeat, vel conuertatur in aliud; vt si vna gutta vini secundum Philosophum in lib. de gener. proijceretur in mille millibus amphoris aquę, illa gutta, vini transiret, & conuerteretur in aquam, vel absorberetur ab aqua: Cum ergo natura diuina plus superet naturam humanam, quam mille millia amphorę aquę vnam guttam vini: ergo &c.

Præterea. Hoc idem innuere videntur verba Damasc. lib. 3. cap. 12. qui carnem Christi dicit esse deificatam, quod non esset, nisi esset in Deitatem conuersa: ergo &c.

**I**N CONTRARIUM est, quia filiatio requirit similitudinem, vel assimilationem in natura: sed Christus dicitur Filius Dei Patris: ergo est sibi similis in natura, & verè est, & verè dicitur Filius Virginis Matris: ergo est etiam Virgini similis in natura; sed Virgo, & Deus Pater non conueniunt in aliqua vna natura, ergo oportet ponere in Christo duas naturas.

Præterea. Per proprietates naturales deuenimus in cognitionem naturę, sed in Christo inuenimus proprietates duarum naturarum: ergo oportet pone re in eo duas naturas.

## RESOLVATIO.

**D**UO Verbi non est facta in natura, quia in Christo non est vna natura tantum, quod ostenditur ex nuditate, conuersione, & conflatione, siue conflatio fiat ex mixtione, siue ex cumulatione, siue ex informatione, quorum modorum nullus est in Christo.

**R**E S P O N D E O dicendum, quod scripta communia soluunt quæstionem propositam, distinguendo quot modis sumitur natura, sed hoc habebit locum in quæstione sequenti, vbi quæremus, si in Christo nō est facta vno in natura, Vtrum

in eo sit facta vno in persona Verbi. Distinguemus ergo modos accipiendi naturam, & ostendemus in quibus rebus habet esse persona, & dabimus differentiam inter personam, & naturam, quia ex ignorantia differentiarum personarum ad naturam & è conuerso, multi errores sunt exorti, ut in sequenti quaestione patebit. In praesenti autem quaestione scire sufficiat, quod in Christo non est facta vno in natura, quia in Christo non est una natura tantum, licet sit in eo una persona tantum.

*Vnam tamen  
in Christo  
esse naturam  
tripliciter  
intelligi pos-  
test.*

Ad cuius evidentiam sciendum, quod in Christo esse vnam naturam tantum, quantum ad praesens spectat, triplicem potest habere intellectum. Primò, quod in Christo sit una natura tantum, per nuditatem. Secundò, quod hoc idem dicitur esse in eo, per conuersionem. Tertiò, quod sit hoc, per conflationem: quilibet etiam istorum modorum habet plures modos. Nam quod in Christo sit una natura tantum, per nuditatem, habet duos intellectus, quia vel ex eo, quod Christus est nudus, & purus homo, & est in eo humana natura nuda, absque eo, quod sit unita diuinæ, vel è conuerso, quia est nudus Deus, & est in eo natura diuina nuda, absque eo, quod sit unita humanæ. Hi autem duo modi intelligendi ex hoc sumunt originem, quod persona Christi, vel potest comparari ad alias personas humanas, & ex hoc dicatur nudus homo, sicut & alij homines sunt nudii, & puri homines: vel potest comparari ad alias personas diuinas, videlicet ad personas Patris, & Spiritus Sancti, & hoc modo dicatur esse Deus præcisè, sicut tam Pater, quam Spiritus Sanctus est Deus tantum, quia nullus eorum est incarnatus, & indutus carne.

Sed hic duplex modus intelligendi esse in Christo, vel in Dei Filio vnam naturam per nuditatem, reprobatur in Symbolo, vbi dicitur: *Est ergo fides recta, ut credamus, & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, Deus & homo est.* Si ergo esset nudus Deus, non esset homo, sicut nec Pater, nec Spiritus Sanctus est homo. Et si esset nudus homo, non esset Deus, sicut nullus aliorum hominum, quia quilibet aliis homo est nu-

*D. Athan. in  
Symb.*

A dus, & purus, & ideo est homo tantum, & non Deus: Hæc etiam eadem sententia habetur in versu sequente, cum dicitur de Christo: *Deus est ex substantia Patris ante secula genitus, & homo ex substantia Matris in seculo natus.* Tertiò hæc eadem sententia habetur in sequenti versu, cum dicitur de Christo: *Perfectus Deus, & perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens.* Quartò hoc idem, habetur à Damasc. lib. 3. c. 12. vbi determinans de Genitrix Christi, ait: *Non enim hominem nudum genuit sancta Virgo, sed Deum verum, & non nudum Deum sed incarnatum, id est carne indutum.*

*Damasc. lib.  
3.c.12.*

B Viso quomodo in Christo non est una natura per nuditatem, volumus ostendere, quomodo in eo non est una natura per conuersionem. Quod etiam potest habere duplum intellectum, quia, vel esset, quod Deitas esset conuersa in carnem, vel quia caro, vel humanitas esset conuersa in Deitatem, quorum neutrum potest stare, secundum verba Symboli compositi ab Athanasio, vbi cum prius dixisset: *Non duo tamen, sed unus est Christus.* postea subdit: *Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, supple nec conuersione carnis in Deitatem, sed assumptione humanitatis in Deum, id est in personam Dei, siue in personam Filij, qui est verus Deus.* Non est ergo in Christo una natura per conuersionem vnius naturæ in aliam, quia nec Deitas est conuersa in carnem, nec caro, siue humanitas conuersa est in Deitatem, sed remanente proprietate utriusque naturæ, Christus est unus per assumptionem humanitatis in Deum, id est in personam Filij Dei, ut non sit in Christo una natura, sed una persona in duabus naturis.

C Ostenso in Christo non esse vnam naturam, per nuditatem, & declarato in eo non esse vnam naturam, per conuersionem, volumus declarare in Christo non esse vnam naturam per conflationem. loquendo ergo largè de conflatione, hic modus nunc factus, habere potest triplicem intellectum, ut tam mixtio, quam cumulatio, & informatio possit dici quedam conflatio. In Christo autem non est vna natura, nec per mixtionem, sicut miscibilia faciunt vnam naturam in mixto, quia

*Conflatio tri-  
pliciter di-  
ci potest:  
per mixtio  
nem; per  
cumulatio-  
ne, & per in-  
formatione*

quia natura humana non est commixta naturæ diuinæ, nec ē conuersò, vt hoc modo prefatæ duæ naturæ faciant vnam naturam in Christo Nam (vt dicitur in libro de Gener.) Mixtio est miscibilium alteratorum vnio: hoc ergo modo non potest esse mixtio naturæ diuinæ ad humanam naturam, nec ē conuersò, quod possint se ad inuicem alterare. Nam licet non oporteat quòd alterans alteretur, quia Cœlum est primum alterans inalterabile, tamen quando aliqua duo mutuò, & ad inuicem se alterant, secundum quem modum miscibilia sunt in mixto, oportet illa conuenire in materia, cum ergo Deitas, & humanitas non possint conuenire in materia, quia in Deitate nulla sit materia, vel potentialitas, etenim tam Deus, quam Deitas est actus purus, cui non est aliquid admixtum de potentia. Ideo ex Deitate & humanitate in Christo non potest fieri vna natura per commixtionem.

Secundò ex humanitate & deitate vna natura in Christo non poterit fieri per cumulationem, vel per aggregationem, sicut ex multis lapidibus fit unus cumulus, & unus acerius lapidum, quia talis unitas non potest esse nisi in rebus corporalibus. Deitas autem non est corpus, nec quid corporale.

Tertius autem modus, quod ex duabus naturis in Christo fiat vna natura per informationem, sicut fit ex anima & corpore, quia anima est forma corporis, etiam stare non potest, quia humanitas non potest esse forma Deitatis, cum Deitas sit actus purus, non valens informari, vel perfici ab alio, nec etiam hoc potest esse ē conuersò, quòd Deitas fit forma humanitatis, quia omnis forma loquendo de forma inhærente, vt hic loquimur, est dependens à propria materia, Deitas autem à nullo dependere potest. Nam ipsa anima intellectua, quantumcunque beata, semper habet naturalem dependentiam ad suum corpus, quia habet naturale desiderium, vel naturalem appetitum administrandi corpus, secundum quem modum loquitur August., circa fin. 10. super Genesim, dum ait, quòd anima propter appetitum naturalem, quem habet administrandi corpus,

Arit. 1. de  
gen. c. 90.

Miscibili  
oportet co  
uenire i  
materia.

Omnis for  
ma inhære  
dependet a  
materia.

Anima etiā  
beatā habet  
naturalem  
depen  
dentiā ad  
corpus.

A retardatur quodammodo, ne tanta intentione perget in illud summum cœlum, & in Deum. Si ergo anima etiam beata habet dependentiam naturalem ad corpus Deitas, à qua omnis dependentia est aliena, cum humanitate, non poterit naturam vnam constituere, per informationem. concludamus ergo, quòd in Christo est solùm unitas personæ, quia est in Christo vna tantum persona, non vna tantum natura, loquendo de omnibus modis unitatis superius positis.

D.P. AUG.  
Tom. 3.

## RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quòd non est simile de mixto respectu miscibilium, & de Christo respectu suarum naturarum, videlicet humanæ, & diuinæ, quia mixtum constat ex pluribus naturis non manentibus in suis proprietatibus, sed Christus est vna persona in pluribus naturis manentibus cum suis proprietatibus, quia natura diuina in Christo manet cum proprietatibus diuinis, & humana cum humana.

Exponitur  
antecedens  
argumenti,  
quod valet  
quando illæ  
plures natu  
rae non ma  
nenent in suis  
proprietati  
bus, sicut  
manent in  
Christo na  
tura diuina  
& humana.

C Ad secundum dicendum, quod differentia specifica dicit totam naturam rei siue speciei, vt animatum dicit totam naturam animalis, sed non dicit eam ex parte totius, sed ex parte formalis tantum, vt animatum dicit totam naturam animalis ex parte animæ, quæ est forma eius, propter quod animatum propriè loquendo non significat totum, quia non significat nisi animam. Prædicatur ergo animatum de toto animali non significando totum, sed quia prædicatur denominatiū implicat totum, & implicando totum, prædicatur de toto. Sed hoc prosequi non est præsentis speculationis, quia hæc solū locum habent in ijs, in quibus ex pluribus naturis conflatur vna natura tertia. Sed in Christo Iesu, vt ait Damasc. lib. 3. cap. 3. non est communem speciem accipere: quod verum est, quantum ad illas duas naturas, videlicet quantum ad naturam humanam, & diuinam, ex quibus non conflatur, nec constituitur aliqua natura communis, vel tertia, sed quantum ad animam, & corpus, ex quibus & in Christo Iesu conflatur natura communis, & tertia, videlicet humanitas, est com-

**A**d primam partem argumenti est benè responsum ibi.  
Ad secundū dicuntur: non sufficere, quodanima & corpus seruent suas proprietates, sed requiri etiam ut ex illis non confitetur natura tertia, sicut collatur ex anima, & corpore.

communem speciem accipere, vel formam. Ad id autem quod addebat, quod tam anima, quam corpus in quolibet homine seruat suas conditiones, patet hoc non sufficere ad probandum intentum, quia non sufficit seruare conditiones, sed requiritur ulterius, quod ex eis non confletur, nec constituantur natura tertia, quod de anima, & corpore non habet veritatem, cum inde constituantur humanitas.

Ad tertium dicendum, quod illa communicatio idiomatum, ut puta, quia, quae sunt Dei, attribuuntur illi homini, B hoc non est propter unitatem naturæ, sed propter unitatem personæ, videlicet quia una, & eadem persona est Deus, & homo, ideo. &c.

**A**nte ecclésis argumenti valeat in his quæ mutuo possunt alterare. Deitas autem est omnino inalterabilis.

Ad quartum dicendum, quod illud veritatem habet in ijs, quæ communicaant in materia, & quæ possunt inuicem mutuo alterare, ut patet in exemplo posito de vino, & aqua, sed humanitas, & Deitas non sic se habent, cum humanitas sit quid materiale, Deitas autem sit purus actus, & quid immateriale. Est enim Deitas, in cuius ditione cuncta sunt posita, & non est qui suę possit resistere voluntati, propter quod, sicut placuit Deitati, & toti Trinitati de humanitate Christi, ut solus Filius fieret homo, & solus Filius esset Deus, & homo, sic factum est.

Caro Christi dicitur Deificata per assumptionem: non per conuersionem.

Ad quintum dicendum, quod caro Christi dicitur deificata, non quia sit in Deitatem conuerſa, ut patet per habita in solutione principali, sed quia est à persona Filii, qui est verus Deus, assumpta.

### A R T I C. III.

*Vtrum in Christo sit facta unio in persona. Conclusio est affirmativa.*

D.Tho.3.p.q.2,ar.2.Cajet, Medina, Silu.ibid. Aluarez ad 3.p.disp.11.Suarez disp.7.sect.3. Cabrera disp.1.Nazarius in comment.articuli.Ricchar.in 3.d.5.art.4.q.2.Vasquez disp.15.Alenf.3.p.q.7.memb.1.

**E**RTI O queritur. Vtrum in Christo sit facta unio in persona. Et videtur, quod non. Quia nulla natura inuenitur, sine ijs, quę per se consequuntur ad naturam: sed personalitas per se

A consequitur quamlibet naturam rationalem, vel intellectualem, ergo tam diuinam naturam, quam humanam consequitur sua personalitas: ergo &c.

Præterea. Natura humana in Christo est dignior, quam in quocunque alio homine: sed personalitas ad dignitatem, pertinet, cum in naturis non ita dignis, cuiusmodi sunt naturę irrationales, non inueniatur personalitas: si ergo humanitas in alijs hominibus constituit suam personalitatem; multo magis hoc faciet humanitas Christi, ergo &c.

Præterea. In persona, secundū quod huiusmodi, ut videtur, non inuenitur nisi natura, & distinguens suppositum illius naturę ab alijs suppositis eiusdem naturę. Sed in Christo sunt due naturę, & due divisiones distinguentes suppositum ab alijs suppositis utriusque naturę. Nam per relationes eternas distinguitur persona Filij à Patre, & Spiritu Sancto, per divisionem materię, & per accidentia, distinguitur ab alijs hominibus, vel ab alijs personis; cum ergo in Christo sit duplex natura, & duplex modus distinctionis personalis secundum utramque naturam, videtur, quod sit ibi duplex personalitas.

Præterea. Maior videtur esse conuenientia in persona, quam in genere, vel in specie: cum conuenientia personalis sit secundum rem, conuenientia vero generis, vel speciei sit secundum rationem: sed propter maximam distantiam naturę diuinę, & humanę, non potest esse conuenientia, nec in genere, nec in specie: ergo multo magis non erit ibi conuenientia in unitate personę.

Præterea. Secundū Philosophum ad diversitatem in genere sequitur diversitas in specie, & ad diversitatem secundū speciem, sequitur diversitas secundum numerum, sed diversitas secundum numerum est diversitas suppositorum, vel personarum. Si ergo natura diuina, & humana non conueniunt in eodem genere, nec in eadem specie, multo magis non conueniunt in eodem numero, ut in eodem supposito, vel in eadem persona.

Præterea. Maior videtur esse affinitas naturę ad personam, quam formę ad materialē, cum natura, & persona, secundum

*Metaph.  
t.c.33.*

dum quod huiusmodi, non dicant aliam, & aliam essentiam; sed forma & materia dicunt duas res, & duas essentias; sed secundum diuersitatem formæ est diuersitas materiae, cum proprius actus sit in propria materia; ergo multo magis secundum diuersitatem naturarum erit diuersitas personarum.

**I N C O N T R A R I V M** est. Quia in his, quæ differunt secundum naturam, & personam, quod dicitur de uno, non potest dici de alio: sed quod dicitur de illo homine dicitur de Deo, & è conuerso, ergo Deus, & ille homo non differunt in natura & persona; ergo est ibi unitas personæ, cum sit ibi dualitas naturæ.

Præterea. Quod conuenit Filio in eo, quo est distinctus à Patre; conuenit ei secundum personam, in qua distinguitur à Patre, sed esse unitum competit Filio, vel Verbo, in eo, quo est distinctus à Patre: ergo &c.

Præterea. Ad hoc, quod sit facta redēptio, vel satisfactio pro humano genere, oportet, quod unus, & idem, vel una, & eadem persona esset Deus, qui posset satisfacere, & homo qui tenetur satisfacere, ut etiam communiter dicitur: sed hoc non posset esse nisi Deitas, & humilitas essent unita in una, & eadem persona: ergo &c.

### R E S O L V T I O .

*Ex multiplice acceptione naturæ secundum Arist. & Boet. & ex tribus differentijs inter suppositum, & naturam concluditur, unionem in Christo non esse factam in natura, quia ex Deitate, & humilitate non constituitur natura tertia: sed in persona Verbi: quia quæ dicuntur de eo, etiam ut à Patre distinguitur, dicuntur etiam de homine Christo, qui, ut posset pro humano genere satisfacere, necesse erat, ut esset Deus, & homo.*

**R E S P O N D E O** dicendum, quod ad soluendum hoc quæsumus hoc modo procedemus: primò distinguemus de ipsa natura, & assignabimus quot modis potest dici natura. Secundò, assignabimus definitionē personę ostendentes, quid est, quod importatur nomi *in persone*. Ter-

A tiò ex iam dictis poterit apparere, quod queritur: quomodo scilicet in Christo facta sit unitio in persona, & non in natura.

Propter primum sciendum, quod modos accipiendo naturam, aliter enumerat Philosophus in 5. Metaph. in cap. de natura. Et aliter Boet. in lib. de duabus naturis Christi. Philosophus enim in 5. Metaph. in cap. præallegato, assignat quinque modos accipiendo naturam, & illis quinque modis superaddit duos modos, & postea omnes illos modos reducit in unum.

Arist. 5. Metaph. c. de nat. quinque modis accipit naturam, quibus duos addit: & tādem omnes reducuntur ad unum.

**B** dicitur natura de ipsa generatione nascentium. Et hoc videtur esse secundum proprietatem vocabuli, quia natura videtur esse idem, quod nascitura: & hoc videtur esse effectus. Et quia generatio nascentium dicitur natura, potest hoc nomen extendi non solum ad generationem nascentium, sed ad generationem quorumcunque naturalium. Nam generatio cuiuscunque rei naturalis potest dici natura, quia est via in naturam; ut generatio ignis potest dici natura, quia est via, per quam itur in naturam ignis; sic & generatio cuiuslibet alterius rei naturalis, potest hoc modo dici natura. Erit ergo primus modus accipiendo naturam, pro generatione nascentium, vel pro generatione cuiuslibet rei naturalis. Sed si generatio rei naturalis potest dici natura, virtus illa, vel potentia illa, per quam fit generatio, multo magis poterit dici natura, quia ut dicit Dionys. in lib. de diuin. nomin. *Quæ sunt causatorum, superabundantius insunt causis.* Si ergo ipsi generationi competit nomen naturæ, multo magis virtuti, & potentiae generatiæ, quæ est principium, & causa generationis, competit tale nomen. Propter quod cum Philosophus assignans primum in modum accipiendo naturam dixisset, quod natura dicitur generatio nascentium, postea subdit, quod uno, supple alio modo, dicitur natura, principium, idest potentia generatiua, ex qua, & per quam aliquid generatur. Tertio modo dicitur natura, quod est principium motus eius, in quo est per se, & non secundum accidentem, & ad hunc modum accipiendo naturam potest adaptari illud, quod dicitur in 2. physicor. *Natura est principium motus.*

Primo modo natura sumitur pro generatione nascentium.

**C** Secundo modo sumitur natura pro potentia generationis.

D. Dionys. lib. 2. de diuin. nom.

Tertio modo dicitur natura, quod est principium motus, & quietis.

Arist. 2. phys. c. 5.

Ad

Ad intelligentiam autem istorum trium modorum accipiendo naturam sciendum, quod in omnibus rebus inneniuntur haec tria, scilicet substantia, virtus, & operatio, vt potest patere per Dionys. Damasc. & Philosophum in 1. Cœli, & Mundi, cum ait, quod substantia apta facit. Quantum ergo ad substantiam dicit substantiam, quantum ad virtutem dicit apta, quia qualibet res est apta ad agendum per suam potentiam, vel virtutem, sed quantum ad operationem dicit, facit. Haec autem tria secundum se, sic se habent, quod prius est substantia, postea est virtus, vltimò est operatio. Et licet haec tria secundum naturam hunc ordinem habeant, quoad nos tamen habent ordinem oppositum. Nam nos primò deuenimus in cognitionem operationis, & per operationem in cognitionem virtutis, & per virtutem in cognitionem substantiae.

Virtus dupl. ac cipitur in rebus nat. C. Advertendum tamen, quod virtus in rebus naturalibus potest accipi dupl. ac cipitur in rebus nat. ter, vel prout facit ad esse, vel prout facit ad motum, vel operationem. Sunt ergo assignati tres modi accipiendo naturam, vt unus modus referatur ad ipsum actum, vel ad ipsam operationem, vt dicatur natura generatio nascentium. Secundus modus referatur ad ipsam virtutem generatiuam, vt dicatur natura virtus, & potentia illa, per quam fit generatio naturalis. Tertius modus referatur ad ipsam virtutem, & potentiam motiuam, que est principium motus naturalis, & si haec vellemus referre ad ipsam substantiam, vt ad materiam, & formam, non differret tertius modus à quarto, vel quinto modo.

D. Erit ergo quartus modus accipiendo naturam pro ipsa materia; & iste quartus modus accipiendo naturam sumpfit originem à modo loquendi antiquorum Philosophorum, qui non distinxerunt, inter materiam naturalium, & artificialium; crediderunt enim, quod sicut tota substantia rerum artificialium est materia, quia omnes formæ artificiales sunt accidentia, sic & in naturalibus crediderunt totam substantiam rerum naturalium esse materiam, & quicquid adueniebat ultius erat accidens, vt ponentes princi-

A pium omnium esse aerem, nihil aliud erat ignis. nisi aer rarefactus, & aqua nisi aer inspissatus, vt hoc modo tota natura, vel substantia rei sit ipsa materia.

B Quintus autem modus accipiendo naturam est, quod natura dicitur ipsa forma, quæ magis est natura, & substantia rei, quam ipsa materia, vel quam ipsa virtus generativa. Advertendum ergo, quod hi quinque modi accipiendo naturam sumpti sunt ex parte modi cognoscendi nostri, non ex parte modi naturæ rerum. Nam cum haec tria se habeant per ordinem, substantia, virtus, & operatio,

Quinto mo<sup>do</sup> natura sumitur pro forma.

vt est per habita manifestum, ex parte modi naturæ rerum, prius habet esse substantia, tanquam causa aliorum omnium: postea habet esse virtus tanquam immediatè causata à substantia, vltimò habet esse operatio, vel quæcumque actio, vel quicunque motus, vel mutatio, tanquam quid causatum à substantia, mediante virtute. Hic est ergo modus, & ordo naturæ rerum. Sed modus, & ordo cognoscendi intellectus nostri est è conuerso, quia primò cognoscimus ipsam operationem, vel actionem, siue mutationem. Secundò per hoc deuenimus in cognitionem virtutis, siue potentie, per quam habet esse huiusmodi motus, vel mutatio, & vltimò deuenimus in cognitionem substantie, à qua omnia habent esse. Et licet motus, & mutatio, ac etiam virtus sint accidentia, non est tamen inconveniens, quod secundum modum cognoscendi nostrum, cognitione accidentium precedat cognitionem substantie, iuxta illud 1. de Anima. Accidentia conferunt magnam partem, ad cognoscendum quod quid est.

Dia*li* qui que modi ac cipiendo na turam de sumuntur ex ordine no stri modi cognoscendi non ex ordine rerum secundueas tu naturas.

Erit ergo primus modus accipiendo naturam quoad nos, vt dicatur natura ipsa generatio nascentium, vel quæcumque generatio naturalium rerum, quod est quidam motus, vel quedam mutatio. Et iste modus accipiendo naturam pertinet ad primum modum. Secundò dicentur naturæ ipse virtutes actiæ, & passiæ naturales rerum, per quas res naturaliter se trasmutant, & alterant, & propter quas fit naturalis generatio rerum, & hoc pertinet ad secundum modum accipiendo naturam. Tertiò, quia ipse motus localis competit naturaliter rebus,

Cognitio accidentia secundarios praedictos cognitionem substantie.

Arist. 1. de anim. t. c. 11

Quarto mo<sup>do</sup> natura pro materia. sumitur origi nem à modo loquendi antiquorum Philosophorum, qui non distinxerunt, inter materiam naturalium, & artificialium;

crediderunt enim, quod sicut tota substantia rerum artificialium est materia, quia omnes formæ artificiales sunt accidentia, sic & in naturalibus crediderunt totam substantiam rerum naturalium esse materiam, & quicquid adueniebat ultius erat accidens, vt ponentes princi-

rebus, quia aliqua naturaliter mouentur sursum, aliqua deorsum, consequens est, quod ipsa grauitas in grauibus sit quedam natura grauium, per quam grauia mouentur deorsum, & ipsa leuitas in leuibus sit quedam natura leuium, per quam levia mouentur sursum. Dicitur ergo tertio natura illud, quod est principium motus localis in rebus naturalibus, ut leuitas erit natura leuium, & grauitas grauium.

Instantia.

Responsio.

Arist. t. phys.  
sic. t. c. 43.

Sed dices. Nonne materia, & forma, quae sunt substantiae rerum, sunt principium motus localis rerum? Ad quod dici potest, quod materia, & forma rerum, sunt principium principale motus localis rerum, quia ut dicitur in 1. phys. materia subiecta cum forma est causa omnium accidentium, quae fiunt in ea; sed principium immediatum motus grauium deorsum est grauitas, & motus leuium sursum est leuitas. Et hoc pertinet ad tertium modum accipiendo naturam, prout est immediatum principium motus naturalis rerum: omnibus ergo ijs tribus modis accipiendo naturam sumitur natura pro naturalibus accidentibus rerum. Quarto autem modo accipietur natura pro ipsa substantia, quae est est materia, & quinto pro ipsa substantia, quae est forma.

Sexto modo sumitur natura prima teria proxima. &amp; est subdivisio quarti modi.

Septimo modo sumitur natura pro materia remota.

Quintusmodus recipie di naturam diuiditur quia alia est forma rationis, &amp; alia est forma partis;

His ergo quinque modis superadduntur duo modi, quorum unus annexitur quarto modo, scilicet naturae materiae, quia materia potest accipi duobus modis, vel ut est prima materia aliquorum, secundum quem modum, omnium, quae fiunt ex ligno, est materia prima lignum, & omnium, quae fiunt ex aere, est materia prima aës. Secundo modo potest accipi materia prima, prout est vterius, & amplius prima, ut eorum, quae fiunt ex aere, dicatur materia prima esse aqua: Nam cum aës sit quoddam liquefactibile, & omnium liquefactibilium sit materia aqua eorum, quae fiunt ex aere, non solum dicetur materia esse aës, sed etiam dicetur materia esse aqua. Et sicut quarto modo, prout materia dicitur natura rerum, superadditus est ei aliis modis, quia ille diuisus est in duos modos; sic quinto modo prout forma dicitur natura rerum potest superadditi aliis, quia iste diuidetur in duos

A modos, prout forma potest dupliciter accipi, videlicet pro forma partis, siue pro forma, quae est pars, prout anima rationalis dicitur forma hominis, vel potest hoc accipi pro forma totius, id est pro forma, quae est totum, prout humanitas dicitur forma, vel natura hominis. Et iste ultimus modus accipiendo naturam est magis competens proposito nostro.

Aduertendum tamen, quod postquam Philosophus in prefato libro distinxit tot modos, vel dedit viam ad distinguendum tot modos accipiendo naturam, quos omnes reducit ad unum, prout natura dicitur de ipsa forma, sed reducere omnes modos naturae in naturam formae, magis est hoc secundum ordinem ipsarum rerum, quam secundum modum intelligendi nostrum. Etenim secundum modum rerum, nomen naturae principalius competit formae, quam alicui alij, immo omnibus alijs competit per relationem ad formam. Nam si materia dicitur natura, qui erat quartus modus accipiendo naturam, hoc est, quia suscipit formam, quae principaliori modo dicitur natura. Sicut etiam si generatio dicitur natura, qui erat primus modus accipiendo naturam, hoc est, quia est via in formam. Eodem etiam modo dicere possumus, quod si virtutes naturales actiuae, per quas causatur generatio rerum, dicuntur natura, qui erat secundus modus accipiendo naturam; hoc est, quia principaliter causantur ex forma.

Sed dices, quod sicut virtutes actiuae sequuntur naturam formam, ita virtutes passiuæ sequuntur naturam materiae. Ad quod dici potest, quod sicut materia non dicitur natura, nisi per comparationem ad formam, sic virtutes passiuæ non dicuntur virtutes, nisi per comparationem ad actiuan. Nam & potentia passiuæ non dicitur potentia, nisi per comparationem ad actiuan, ut patet ex 5. libro Metaph. cap. de potentia. Eodem etiam modo, si leuitas, & grauitas dicuntur natura, quia sunt principium motus localis naturalis grauium, & leuium, est per comparationem ad formam. Nam leuitas causatur, & sumit originem à forma substantiali leuium, & grauitas à forma substantiali grauium. Omnes ergo modi acci-

In questio-  
ne natura  
accipitur  
pro roto,  
id est pro hu-  
manitate,  
qua est na-  
tura homini-  
nis.Nomen na-  
ture secun-  
dum ordi-  
nem rerum  
principa-  
lius compe-  
tit formam,  
quam alijs  
quiibus tan-  
cum compe-  
tit nomen  
nature, per  
relationem  
ad formam.

Obiectio.

Solutio.

Arist. 5. Ma-  
taph. cap.  
de pot.

**Omnes mo-**  
di accipien-  
di naturam  
reducuntur  
ad vnum,  
idest ad for-  
mam.

**De variis**  
modis acci-  
piendi natu-  
ram secundum  
doctrinam  
Boetii

**Boet. cur fe-**  
cerit librū  
de duabus  
nat. & vna  
persona  
Christi.

**Quadrupli-**  
citer sumi-  
tur natura  
secundum  
Boet.

**Primo mo-**  
do sumitur  
natura pro  
omni eo,  
quod intel-  
ligi potest.

**Nihil habet**  
nomen, &  
significatio-  
nem, quomo-  
do intelli-  
gatur.

accipiendi naturam reducuntur in vnum modum, videlicet prout natura dicitur de forma substantiali, siue accipiatur forma substantialis, pro forma partis, siue pro forma totius, vt humanitas non habet rationem formæ, nisi propter formam partis, vt propter animam rationalem, a qua est tota actualitas formæ totius.

Vlterius autem postquam dubitauimus de modis accipiendo naturam secundum Philosophum, restat hoc videre secundum Boetium, qui propter elucidationem fidei Christianæ fecit speciale libellum

contra Nestorium, & Euthichem De duabus naturis, & vna persona Christi. Ad cuius evidentiam sciendum, quod in illo libello docemur accipere naturam quadrupliciter; dantur enim ibi quatuor distinctiones de natura. Est enim prima distinctio ibidem posita omnino generalis, continens non solum naturam substantiarum, sed etiam accidentium, & non solum ipsas naturas, sed etiam ipsa supposita naturarum, quæ prima distinctio talis est, quod *natura est quicquid quoquomodo intellectu capi potest*. Hæc autem distinctio non solum comprehendit naturam substantiarum, sed etiam accidentium, quia ipsa accidentia, licet non habeant quidditatem simpliciter, sed per additamenta, tamen quoquomodo intellectu capi possunt. Hæc autem distinctio non solum comprehendit substantias compositas ex potentia, & actu, sed etiam comprehendit ipsam materiam, quæ de se est pura potentia, & ipsum Deum, qui de se est purus actus.

Propter quod ibidem Boetius definit naturam *quicquid intellectu capi potest*, & addidit *quoquomodo*, quoniam Deus, & materia integro, perfectoq. intellectu intelligi non possunt, sed *quoquomodo*, idest, aliquo modo, cæterarum rerum priuatione ab intellectu capiuntur. Non ergo excluditur à præfata distinctione, nisi solum nihil, quod cum habeat nomen, oportet quod habeat significacionem secundum illud nomen. Ipsum ergo nihil excluditur à præfata distinctione, quia licet habeat nomen, & significacionem, non tamen significat naturam aliquam. In præfata ergo distinctione non solum comprehenduntur omnes naturæ,

A tam substanciales, quam accidentales, sed etiam ibi comprehenduntur omnia supposita naturarum quarumcunque, siue illæ naturæ sint substantiae constituentes supposita, siue sint accidentia non constituentia supposita, sed substantata in suis suppositis iam constitutis, omnia huiusmodi supposita, tam substantiarum, quam accidentium quoquomodo, idest aliquo modo intellectu capi possunt.

Secunda autem distinctio data de natura ibidem non comprehendit accidentia, sed solum substantias tam corporeas, quam incorporeas. Est autem illa secunda distinctio talis, quod *natura est quod facere, vel pati potest*, omnes autem substantiae tam corporeæ, quam incorporeæ, vel habent utrumque horum, quia possunt agere, & pati, vel habent alterum horum tantum, quia possunt solum agere, vel solum pati; omnes autem substantię composite ex actu, & potentia, siue sint corporeæ, siue incorporeæ, naturaliter loquendo, possunt agere, & pati. Si autem sunt impassibiles, hoc est per gratiam consummatam, siue per gloriam; sed si huiusmodi substantię non sunt composite ex potentia, & actu, sed sunt potentia pura, vt materia, vel actus purus, vt Deus, talibus substantijs, vel essentijs non potest competere, nisi alterum predicatorum, quia potentię pure, vt materia, secundum quod huiusmodi non competit, nisi pati tantum, sed actu puro, vt Deo secundum quod huiusmodi non competit nisi agere.

Possimus autem inter has duas distinctiones datas de natura assignare multas differentias. Prima quidem differentia, quia distinctio prima de natura per se, & primo competit naturę, & quidditati rei, quia ipsa natura, & ipsum quod quid est, est obiectum ipsius intellectus secundum se. Propter hoc definire naturam per hoc, quod est obiectum intellectus, vel per hoc, quod intellectu capi potest, talis distinctio data per se, & primo competit ipsi naturę, vel quidditati. Si autem competit ipsi supposito, vel ipsi personę habenti quidditatem, hoc erit ex consequenti. Sed secunda distinctio data de natura, quod est id, quod potest agere, & pati, se habet è conuerso; quia huiusmodi definitio primo competit supposito, quia

**Secundomo-**  
do natura  
sumitur pro  
omni eo,  
quod face-  
re, vel pati

**Quomodo**  
differunt  
diæ duo  
modi acci-  
piendi na-  
turam.

**Primus mo-**  
do primæ  
convenitna-  
tura, ex cō-  
sequenti au-  
tem suppo-  
site, sed se-  
cundus mo-  
dus se ha-  
bet è con-  
tra.

quia suppositum est id quod agit, & patitur; si autem competit naturę, vel formę, & potissimē naturę creatę, hoc erit ex consequenti, quia natura creata non est id, quod agit, nec id quod patitur, sed potest esse ratio agendi, & patiënti, vt potest haberi à Damasceno libro 3. cap. 14.

*Tertio modo sumitur natura pro principiis motus, & quietis.* Tertia autem distinctio, data à Boetio de natura est, quod natura est principium motus, & quietis. & hęc definitio competit non omni naturę, sed solum naturę corporali, quia non spiritus, sed corpora per se, & primò mouentur localiter. Competit etiam hęc definitio non ipsis suppositis, sed ipsis naturis corporalibus, quia licet suppositum sit illud, quod per se mouetur, ratio tamen, & principium illius motus non est propriè ipsum suppositum, sed natura, quae est in illo supposito. Possimus tamen duplex tale principium assignare, vt in motu ipsorum leuium principium motus eorum est tām leuitas, quam forma substantialis eorum, quae principaliter dicitur eorum natura, aliter tamen, & aliter, quia leuitas est principium illius motus immediatum, sed forma substantialis leuium est illius motus principium principale. Et quia principium à principalitate dicitur, ideo propriè loquendo, forma substantialis leuium, vel forma substantialis grauium, quae principaliter dicitur eorum natura, principaliter est principium motus.

*Quarto modo sumitur natura sūt Bōet. pro eo quod informat vnamquam rem specificam differentiam.* Quarta autem distinctio data de natura in præfato libro De duabus naturis est, quod natura est vnamquam rem informans specifica differentia. Et secundum hanc definitionem ultimam de natura, vt idem Boetius ait in dicto libro: debemus disputare contra aduersarios Fidei, & Catholicę veritatis, quo modo in Christo facta est vna in persona, non in natura, quia iu eo est vna tantum persona, & non plures, in eodem tamen sunt naturę plures, & non vna tantum.

Vterius, postquam disputauimus de modis accipiendo naturam, tām secundum Philosophum, quam secundum Boetium, potest aliquis dubitare de definitione per Aegid. super iij. Sent.

*Quid sit persona.*

A sonę, quid sit persona. Nam sicuti si ponimus in Christo duas naturas, & vna personam in illis duabus naturis, non poterimus scire hanc veritatem, si ignoremus, quid sit natura, & quot modis accipitur natura; sic etiam non poterimus hanc veritatem scire, ignorato quid sit persona, & in quibus habet esse. Inuestigabimus ergo hęc, distinguendo de omnibus, quod vel sunt substantiae, vel accidentia, iuxta illud Alpharabij de ortu scientiarum:

*Alpharab. de ort. scientiarum.* *scias nihil esse præter substantiam, & accidentem, & creationem utriusque.* In accidentibus non potest inueniri ratio personalitatis, nec potest ibi, secundum quod huiusmodi esse persona, quia nullus dicit albedinem, vel nigredinem, vel aliquod accidens esse personam: Rursus ipsarum substantiarum est multiplex distinctio, quia quedam sunt animatae, quedam inanimaiae. In ipsis autem substantijs inanimatis, vel parentibns vita, non potest inneniri personalitas: quia nullus metallo aliquod, vel lapidem aliquem dicit esse personam. Tertiò ipsæ substantiae animatae, vel viuentes distinguuntur, quia quedam sunt vegetabilia, quedam sensibilia. In vegetabilibus autem ratio personalitatis inueniri non potest, quia nullus dicit arborem aliquam, vel plantam aliquam esse personam. Quartò ipsa sensibilia possunt distinguiri, quia quedam sunt rationalia vt homines, quedam irrationalia, vt bruta. In ipsis autem irrationalibus non inuenitur ratio personalitatis, quia nullus dicit asinum, vel equum, vel aliquod aliud brutum esse personam. Quintò ipsa rationalia possunt considerari dupliciter, vel secundum esse vniuersale, vel secundum esse individuale; In ipsis autem vniuersalibus non inuenitur ratio personalitatis, quia nullus dicit speciem, aliquam, vel genus aliquod esse personam.

D Ex ijs autem omnibus possumus concludere, & inferre definitionem personae, vt etiam ipse Boetius accipit, & infert definitionem præfamat, videlicet. *Personae est rationalis naturae individua substantia.* Et quia hęc omnia reperiuntur in hominibus, Angelis, & Deo, quia sunt rationalis naturae individua substantia,

*In accidentibus non est ratio personalitatis.*

*Substantiarum multiplex distinctio.*  
*In substantijs inanimatis non est personalitas, que in animatis altera anima, quæ rationalis.*

*Definitio Personae.*

tia, ideo in omnibus ijs possumus accipere definitionem personæ, modo quo dictum est.

Aduertendum tamen est, quòd ea, quæ transferimus ad diuina, debent carere, quantum possumus, omnimoda impræprietate. Vnde D. Augustinus 7. de Trinit. cap. 5. ait *Deus non propriè dicitur substantia, quia nulli substet*. Rursus, si nomen personæ volumus transferre ad Angelos, & ad Deum, Deus, & Angeli non propriè sunt rationales, sed intellec-tuales, cùm ratio intelligat cum discursu, Deus autem, & Angeli intelligent sine discursu. Tertiò, quia non propriè recipitur in diuinis indiuiduum, sed com-municabile, & incomunicabile; ideo, vt definitio data de persona, possit non

D.P. Aug. 7.  
de Trin. c.  
5. tom. 3.  
Deus, & An-geli no[n] dicitur pro-pter rationa-les.  
Quæ sunt mulanda in definitione personæ, vt competat Deo, & An-gelis.  
solum in Angelis, sed etiam in omnibus personis reperiri, mutabimus tria prefa-nomina posita in definitione personæ, vt loco rationalis, ponamus, intellectualis, pro indiuidua, ponamus, incomunica-bilis, pro substantia ponamus, subsisten-tia. Nam, licet persona diuina non propriè dicatur substare, propriè tamen poterit dici subsistere. Erit ergo defini-tio personæ: *Persona est intellectualis naturæ incomunicabilis substantia*.

Quomodo differat na-tura & per-sona.  
Ulterius autem dubitatur de differen-tia naturæ, & personæ, vt ex omnibus his concludere possimus, quomodo Christus est vna persona in pluribus naturis. Possumus autem, quantum ad præsens spectat, triplicem differentiam assignare, inter naturam, & personam. Nam formaliter loquendo, persona non est ipsa natura. Potest autem hæc prædicatio esse vera, quòd persona est sua natu-ra propter simplicitatem, tam personæ, quam naturæ. Quod potissimè veritatem

In diuinis  
hac est ve-  
ra, per sona  
est sua natu-  
ra identicè  
non forma-  
liter.  
habet in diuinis, vbi persona est ita sim-plex, sicut natura. Potest etiam esse ve-ra propter identitatem in diuinis, quia ibi persona est sua natura, sed hoc non erit formaliter. Nam prædicatione formaliter, cùm persona in diuinis sit quid relatiuum, & natura, vel essentia, etiam in diuinis, sit quid absolutum, & formaliter relatiuum non prædicetur de absolu-to, nec è conuersò, hæc loquutio in diuinis, quòd persona est sua natura, non

A erit vera formaliter, sed per identitatem. Loquendo ergo formaliter, vt diximus, & in diuinis, persona non est ipsa natu-ra, sed est suppositum aliquod in huiusmodi natura. Et quod dictum est in diuinis personis, multò magis veritatem habet in personis Angelicis, & huma-nis. Nam non solum prædicatione for-mali, sed etiam per identitatem nulla persona humana est sua humanitas, vel sua natura humana, nec aliquis Angelus est sua natura Angelica. Ipsa etiam per-sona Christi non solum prædicatione for-mali, sed etiam per suam identitatem non est sua natura humana, siue huma-nitas. In concreto enim natura humana prædicatur de Christo, quia Christus est verus homo, sed non prædicatur de ab-stracto, quòd Christus sit sua humanitas.

In Christo  
persona no[n]  
est sua natu-  
ra humana,  
neque iden-tice, neque  
formaliter.  
Sed dices hoc esse mirabile, si non aliter comparatur persona diuina ad suam obiecio. Deitatem, & Angelus ad suam naturam Angelicam, & homo ad suam humanita-tem. Sed responderi potest, quòd na-tura humana in suis suppositis, & ad sua supposita habet differentiam formalem indiuiduationis in eis, & per ea, & ita, habet esse in ipsis, quod non habet esse per se, nec subsistit per se, sed solum subsistit in ipsis. Omnia autem hæc tria, competunt naturæ humanæ respectu suo-rum suppositorum; sed naturæ Angelicæ respectu sui suppositi conueniunt duo ex istis: Nam formaliter differt à suo suppo-sito, & requirit esse in suo supposito, tamen non indiuiduatur per suum suppo-situm, sed indiuiduatur per seipsum. Loquendo enim de naturis creatis, eo ipso, quòd forma non est receptibilis in materia, habet indiuiduari per seipsum; quia secundum Philosophum forma non diuiditur nisi per materiam. Ex hoc au-tem potest apparere illud verbum Dama-sceni lib. 3. cap. 11. *Verbum assumpit na-turam humanam in atomo*. quia eo ipso, quòd Verbum assumpit naturam no-stram in suo supposito, & in sua perso-na, natura nostra in eo est facta indiuidua, & facta est atomus. Sic ergo, vt dictum est, comparatur natura huma-na ad sua supposita, quòd habet tres omnes illas differentias, & natura-

solutio.

Quomodo  
natura An-  
gelica indi-  
viduatur.  
D inato, & requirit esse in suo supposito, tamen non indiuiduatur per suum suppo-situm, sed indiuiduatur per seipsum. Loquendo enim de naturis creatis, eo ipso, quòd forma non est receptibilis in materia, habet indiuiduari per seipsum; quia secundum Philosophum forma non diuiditur nisi per materiam. Ex hoc au-tem potest apparere illud verbum Dama-sceni lib. 3. cap. 11. *Verbum assumpit na-turam humanam in atomo*. quia eo ipso, quòd Verbum assumpit naturam no-stram in suo supposito, & in sua perso-na, natura nostra in eo est facta indiuidua, & facta est atomus. Sic ergo, vt dictum est, comparatur natura huma-na ad sua supposita, quòd habet tres omnes illas differentias, & natura Ange-

Angelica ad suum suppositum, quia  
habet duas de illis differentijs, sed na-

Intellige de formalitate eminēti, seu virtuali, quæ rationis additio nem dicitur cum fundamento, seu actuali virtute in re ipsa.

natura diuina ad sua supposita non ha-  
bet, nisi vnam de illis differentijs, vide-  
licet quod habet differentiam formalem  
ad sua supposita, tamen non acquirit ef-  
fe in eis, sed per se ipsam est actus purus,  
& est ipsum suum esse: nec etiam indiu-  
duatur, vel efficitur incomunicabilis

per aliquod suorum suppositorum, im-  
mò existens æqualiter in aliquo suo sup-  
posito, æqualiter communicatur alijs  
suppositis, vt existens æqualiter in Pa-  
tre, communicat eam Pater Filio, &

Prima dif- ferentia ad na- turam est naturæ, & re suppo- fici.

Pater, & Filius, Spiritui Sancto. Erit  
ergo prima differentia suppositi ad natu-  
ram, quod formaliter potest dici differ-  
entia suppositum à sua natura. Secunda

Secunda dif- ferentia est, ratem addit quodlibet suppositum supra suum addit suam naturam, siue ista proprietas sit supra u- ra aliquam relatiua, sicut in diuinis, siue sit absolu- proprie- tem, siue ab solutam, fi- ue relatiua.

autem differentia cuiuslibet suppositi ad

suam naturam, quia aliquam propri-  
teriam addit quodlibet suppositum supra  
suam naturam, siue ista proprietas sit  
supra u- ra aliquam relatiua, sicut in diuinis, siue sit absolu-  
proprie- tem, siue ab solutam, fi- ue relatiua.

Et ex ista secunda differentia declaratur differentia prima,

tam in natura diuina, quam in naturis  
alijs. Nam suppositum, vel persona  
in natura diuina addit supra suam natu-  
ram proprietatem relatiua, vt natura  
diuina cum proprietate relatiua Patris,  
quæ est ipsa paternitas, constituit per-  
sonam Patris: cum proprietate relatiua  
Filij, quæ est filiatio constituit persona  
Filij: cum processione, quæ est propri-  
etas Spiritus Sancti, constituit personam  
eius. Hoc est ergo, quod ait Damascenus

lib. I. cap. 2. *Pater, & Filius, & Spir-  
itus Sanctus secundum omnia sunt unum,*  
*præter ingenerationem*, quantum ad per-  
sonam Patris, *generationem*, quantum  
ad personam Filij, vel quantum ad eius  
proprietatem, & *processionem*, quantum  
ad proprietatem Spiritus Sancti. Ex hac  
ergo differentia secunda declaratur dif-  
ferentia prima. Nam si persona dicit natu-  
ram cum proprietate, siue illa proprie-  
tas sit relatiua, vt in personis diuinis,  
siue quid absolutum, vt in personis,  
quæ sunt puræ creaturæ, siue creaturæ  
illæ puræ sint homines, siue Angeli.  
Nam cum illa proprietas se habeat, vt  
quid completuum, respectu constitutio-

Aegid. super iij. Sent.

A nis personalis, oportet, quod formaliter  
loquendo, significatio personæ sit diffe-  
rens à significatione naturæ.

Sed dices, cum proprietas in diuinis Dubitatio

constituens personam diuinam, sit quæ-  
dam relatio, vt paternitas in Patre,  
cum Deitate Patris constituit personam  
Patris, & filiatio, quæ est proprietas Fi-  
lij, cum illa eadem Deitate, quam ha-  
bet Pater, constituit personam Filij, &  
processio cum illa eadem Deitate, quam  
habent Pater, & Filius, constituit per-  
sonam Spiritus Sancti. In creaturis er-  
go puris quid erit illa proprietas consti-  
tuens personam earum? Ad quod dici Solutio

poteſt, quod proprietas, de qua hic que-  
ritur, erit habere per se esse, & non  
esse in alio tanquam in subiecto, vel tan-  
quam in supposito. Nam hoc est pro-  
prium personæ esse subiectum alicuius

Proprieti per sonalitatis est esse su- biectum ali- cuius natu- ra.

naturæ, vel esse subiectum aliquarum  
naturarum, siue ex illis naturis consti-  
tuatur vna natura communis, & tertia,  
prout ex anima, & corpore constituitur  
humanitas, siue non; prout ex Deitate,  
& humanitate in Christo, in quo, quan-

tum ad hoc, vt supra dicebatur per Da-  
mascenum, *non est communem speciem*  
*accipere*, nulla constituitur communis  
natura. Propter quod Boetius in libro

De duabus naturis ait: *Nam illud qui-  
dem manifestum est, personam esse subie-  
ctum naturæ, vel præter naturam posse  
esse personam*. Ex ijs autem duabus dif-  
ferentijs datis inter naturam, & perso-  
nam, potest sumi differentia tertia, vi-  
delicet quod natura potest dicere quid  
communicabile, & tam in diuinis, quam  
in humanis dicit quid communicabile,

Tertia dif- ferentia in ter naturam & cōpositū, est quod na- tura est cō-  
municabili-  
lis, & perso-  
na incōmu-  
nicabilis.

sed aliter, & aliter. Nam in diuinis na-  
tura dicit quid communicabile secun-  
dum identitatem rei, sed in humanis  
natura dicit quid communicabile, non  
secundum identitatem rei, sed secundum  
identitatem speciei, vel rationis, quia  
ratio, vel intellectus est illud, quod facit  
vniuersalitatem in rebus, quia est illud,  
quod facit vniuersalitatem generis, vel  
speciei in habentibus idem genus, vel  
eandem speciem, sed persona in omni-  
bus quibuscumque existit, semper dicit  
quid incomunicabile, quia cum perso-

S 2 na

na dicat quid non habens esse in alio, oportet, quod de se dicat quid individuum, vel incommunicabile.

Ex ijs autem omnibus apparere potest, in quo sit facta vno in Christo, quia non est facta vno in natura, cum ex Deitate, & humanitate non constituantur aliqua vna natura, sed facta est vno in persona, quia vna, & eadem persona Verbi retinens omnia, quae ab aeterno habebat, vel non perdens aliquid de ijs, que aeternaliter habebat, in fine temporum assumpsit humanitatem, quam non habebat, & factus est homo, cum prius non esset homo, iuxta illud, quod canit Ecclesia de Christo: *Deus creator omnium, homo in fine temporum*: vel hoc fuit in nouissimo tempore, vel in nouissimis diebus, iuxta illud ad Hebr. cap. 1. *Nouissime diebus ipsis loquutus est nobis in Filio.*

*Eccles. in  
Brev. Rom.*

*Hebr. c. 1,*

*In Christo  
natura hu-  
manam no-  
nō est sequuta  
personalita-  
tis propria,  
sed persona  
Iustas Verbi  
gerēs vices  
propria per-  
sonalitatis.*

### RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quod natura humana in Christo non est sine personalitate, quia non posset esse aliqua natura, nisi esset in aliqua persona, vel in aliquo supposito, sed illa personalitas est personalitas Verbi, quia personalitas Verbi habens in se a Patre ab aeterno naturam diuinam, assumpsit in tempore, in se manens, naturam humanam, ex qua assumptione eadem persona habuit esse in duabus naturis, diuina scilicet & humana, & habuit esse Deus, & homo, iuxta illud, quod habetur ab August. quod talis fuit illa suscepit, *quaē hominem faceret Deum, & Deum hominem.*

Sed quærēs, vtrum argumentum factum concludat aliquid. Ad quod dici potest præfatum argumentum concludere naturam humanam in Christo non esse accidens, sed habere quendam modum accidentis, quia sicut accidens propriè loquendo, non constituit personam, nec suppositum, sed substentatur in supposito iam in esse constituto; sic natura humana in Christo non constituit personam, vel suppositum, sed substentata est in supposito ab aeterno in esse constituto.

Ad secundum dicendum, argumentum non concludere propositum, sed oppositum. Nam cum illud suppositum, in quo

*Natura hu-  
mana in  
Christo, li-  
cet non sit  
accidens :  
habet tamē  
modum ac-  
cidentis*

A substentatur natura humana in Christo sit Argumentū concludit oppositum, nō propositiū, quia dignior est natura humana, ex eo, quod substentatur in supposito alieno, & diuino, nō, quā si substentatur in supposito proprio.

Ad tertium dicendum, quod argumentum non concludit sufficienter, sed insufficienter; nam ad esse duas personas, vel ad constituere duas personas non sufficit esse duas naturas, cum suis proprietatibus distinctis, sed oportet illas duas naturas non esse in uno, & eodem supposito. Non ergo plus arguit argumentum, nisi quod si natura humana in Christo haberet esse separatum à persona Verbi, quod constituit aliquam personam de se, sicut constituit quālibet alia humanitas non assumpta à persona Verbi.

Ad quartum dicendum, quod quā differunt genere, vel specie, differunt numero differentia naturae, sed non oportet quod differant numero, vt etiam communiter dicitur, differentia suppositi, quia in eodem supposito numero est substantia, quantitas, qualitas, quae sunt nature differentes genere; sic in eodem supposito Verbi est Deitas, & humanitas, non obstante quod differant genere; non ergo plus concludit argumentum, nisi quod Deitas, & humanitas sunt plures naturae, quod concedimus; non tamē arguit, quod illae plures naturae sint in pluribus suppositis, vel personis. Et per hæc patet solutio ad quintum, quod unitas, & pluralitas, sive secundum genus suum, sive secundum speciem potest accipi, vel secundum numerum naturarum, vel secundum numerum suppositorum, quia non est inconveniens, vt patet per habita, manente pluralitate naturarum secundum genus, esse ibi unitatem suppositi, vt posuimus exemplum de substantia, quantitate, & qualitate, quae habent esse in uno, & eodem supposito, immo omnia decem prædicamenta, & omnia decem genera possunt esse in uno, & eodem supposito.

Ad sextum dicendum, quod non est simile de forma, & materia, & de supposito, & de

Argumentū peccat ex insufficiencia rationis adducta.

Duplex dif-  
ferentia na-  
turæ, & sup-  
positi; argu-  
mentū con-  
cludit pri-  
mo modo,  
non secun-  
do.

Vnitas, &  
pluralitas  
dupliciter  
sunt potest  
vel secundū  
numerū na-  
turarū; vel  
suppositorū  
in plurali-  
tate natura-  
rum secun-  
dum genus  
potest stare  
vnitas sup-  
positi; argu-  
mentū con-  
cludit de  
diuersitate  
generis, &  
speciei in  
diuersis sup-  
positis.

*Non est simile de supposito diuino, & de for-  
ma quia suppositum diuini potest sup-  
plere vi-  
ces cuiuscun-  
que supposi-  
ti, nullus au-  
tem forma  
potest sup-  
plere vi-  
ces quarecumque  
formarum.*

& de natura, quia forma non potest esse in qualibet materia, sed solum habet esse in materia disposita, iuxta illud. *Aetius actiuorum sunt in paciente bene disposito;* sed suppositum, maximè suppositum diuinum, quod potest supplere vices cuiuscunlibet suppositi, potest in se habere quamcunque naturam, loquendo de potentia absoluta, sicut potest habere quocunque suppositum.

## DISTINCTIONIS V.

## Pars Secunda Principalis.

## QVAESTIO VNICA.

*De ipso assumente.*

OSTEA queruntur de secundo principali, scilicet de assumente cuius sit, & cui conueniat assumere.

Circa quod queruntur tria.

Primò. Vtrum assumere conueniat ipsi personæ.

Secundò. Vtrum hoc conueniat ipsi naturæ.

Tertiò. Vtrum, circumscriptis personis, possit conuenire hoc, quod est assumere, ipsi naturæ diuinæ.

## ARTIC. I.

*Vtrum assumere conueniat persona.*

*Conclusio est affirmativa.*

D.Thom. 3.p.q.3.ar.2.Caiet.Silu.Medina.Nazar.ibid.  
controv.unica.D.Bonau.in 3.d.5.ar.1.q.2. Alens.3.  
p.q.4.memb.1.Valentia puncto 1.Vafquez disp.25.  
Aluarez disp.18.Suarez disp.13.fest.1.

**A**D primum sic proceditur. Videtur, quod assumere non conueniat personæ. Nam, vt patet per habita, persona dicit aliquid completum, & totum; sed ei quod est completum, & totum, non Aegid.super iij.Sent.

A potest fieri additio. Et per consequens ei quod est tale non potest per se competere, quod aliquid assumat: ergo &c.

Præterea. Quando aliquid assumitur ad participationem alicuius, aliquo modo communicat cum illo, à quo assumitur: si ergo personæ competenter assumere, ergo competenter ei quid communicabile; sed, vt patet ex articulo præcedenti, incommunicabilitas est de ratione cuiuscunlibet personæ: ergo &c.

Præterea. Persona in quantum supponitur naturæ, habet aliquam similitudinem materiæ, sicut ipsa natura, secundum quod huiusmodi, semper habet aliquam similitudinem formæ; sed materia plus elongatur à perfectione, quam forma: Cùm ergo natura diuina non possit esse forma alicuius alterius, multò magis suppositum diuinum non poterit esse suppositum alterius naturæ.

Præterea. Plus repugnat simplicitati diuersitas naturæ, & personæ, quam diuersitas subiecti, & accidentis: sed Deus immediatè non potest esse subiectum alicuius accidentis, quia in Deo nihil est per accidens: ergo multò magis non potest esse immediatum subiectum alicuius alterius naturæ.

IN CONTRARIVM est, quod dicitur Ioan. 1. *Verbum caro factum est.* <sup>Io.c.1.</sup> idest factus est homo: sed hoc non est, nisi per assumptionem humanæ naturæ; ergo ipsi Verbo, vel ipsi personæ Verbi competit aliquid assumere.

Præterea. Assumptio semper terminatur ad aliquam unionem, quia hoc est assumere, aliquid sibi vnire; unio autem in Christo, non est facta in natura, sed in persona, vt patet per habita; ergo ipsi personæ potissimè competit aliquid assumere.

## RESOLVITO.

*Quia suppositum diuinum, quod consti-  
tuitur ex essentia, & proprietate rela-  
tiva, quæ plus habet de esse, quam  
quælibet substantia creata, potest sup-  
plere vices cuiuscunque suppositi creati;  
& est id, in quo facta est unio, quæ est  
terminus assumptionis: ideo ei conuenit  
assumere.*

Dubitatio.

**R E S P O N D E O** dicendum, quod cum unio naturarum in Christo facta sit in unitate personae, cogimur dicere, quod ipsi competit aliquid assumere; Sed si sic dicimus, quod credimus bene dictum, occurrit nobis grauis dubitatio, si consideremus differentiam inter constitutionem personae in diuinis, & in creaturis: loquendo enim de creaturis puris, persona constituitur ex sua natura, & proprietate aliqua. Aliter tamen est in diuinis, ut patet per habita, & aliter in creaturis, quia in diuinis proprietas constitutiva personae est aliqua relatio, ut persona Patris constituitur per suam relationem. Sed Commentator in 12. super illo verbo, & loco: *diuersarum rerum sunt diuersa principia, & causae*, vbi querit Philosophus: Vtrum sint eadem principia substantiae & relationis, dicit ibidem, quod exemplum posuit de relatione, *quia est debilioris esse alijs praedicamentis*, & subdit, quod *quidam putauerunt ipsam relationem esse de secundis intellectis*. Si ergo relatio habet ita debile esse, ut aliqui putauerint eam esse de secundis intellectis, id est secundis intentionibus; quia questio nostra est de ipsa persona diuina, quae constituitur in esse per relationem, de qua dictum est, quod habet ita debile esse, ideo meritò dubitatur. Vtrum ad personam diuinam spectet aliam naturam assumere. Est enim hoc commune, ut dictum est omni personae, tam in diuinis, quam in creaturis, quod persona, vel suppositum constituitur in esse ex natura, & proprietate, sed in diuinis proprietas constitutiva personae est relatio, quia (ut vult Boet, in suo libello de Trinitate: *In diuinis substantia continet unitatem, sed relatio multiplicat personarum Trinitatem*). Sic ergo est in diuinis personis, vel suppositis, sed in personis, vel suppositis creatis proprietas constitutiva est habere per se esse. Nam proprium est cuilibet naturae creatae non habere esse per se, sed habere esse in supposito, siue sit natura substantialis, siue accidentalis, non habet esse per se, sed in supposito, differenter tamen hoc competit naturae substantiali, & accidentalii. Nam loquendo de suppositis creatis, natura substantialis ita habet esse in supposito, quod est constitutiva suppositi: Ac-

Comment.  
in Metaph.  
c. 19.

Arist. ibid.

Suppositum  
constituitur  
ex natura,  
& proprie-  
tate.

A cidentalis verò, sic habet esse in supposito, quod non constituit ipsum, sed substantatur in supposito iam constituto inesse, per naturam substantialiem; sed sicut proprium est cuiuslibet naturae creatae, non habere per se esse, sed habere esse in suo supposito: sic proprium est suppositi creati habere per se esse: Et haec est illa proprietas, quae est constitutiva suppositi creati. Sicut ergo suppositum incrementum constituitur ex natura diuina, & sua proprietate, quae est relatio, sic quodlibet suppositum creatum constituitur ex sua natura, & ex sua proprietate, quae non est relatio, sed est per se esse. Sciendum ergo, quod licet supposita creata non habeant ex sua natura, quod competit eis per se esse, quia nulla natura creata est suum esse, nec est ita simplex, quod sit ipsum esse, vel ipsum suum esse, sicut est natura diuina, quae est ipsum esse, & ideo supposita diuina ex natura sua etiā habet quod eis competit per se esse. Sed ex proprietate relativa, siue ex relatione competit cuilibet supposito diuino, habere ab alijs distinctum esse.

B Ex quibus constituantur supposita diuina, & creata.

B Dubitatio ergo mota, quod relatio habet debile esse, propter quod, cum proprietas constitutiva diuini suppositi sit relatio, videtur ex hoc concludi, quod suppositum diuinum habeat debile esse: dupliciter potest solui. Nam cum quodlibet suppositum diuinum habeat ex sua natura, quod competit ei per se esse, quod non habet aliquod suppositum creatum, inde est, ut firmius, & stabilius esse competit supposito diuino, quia competit ei naturaliter per se esse, quod non competit alicui supposito creato; quia supposito creato non ex sua natura, sed ex sua proprietate competit ei per se esse.

C Prima Solu-  
tio dubita-  
tientis.

D Secundo potest solui difficultas praefata, quia ipsa relatio diuina plus habet de esse, quam quacunque substantia creata, cum nulla substantia creata, etiam ad momentum non possit se continuare in esse, nisi per suum creatorem conseruetur in suo esse: cum ergo dicimus, quod in diuinis sunt duo praedicamenta, substantia, & relatio, illa duo praedicamenta sunt alterius rationis, quam ista praedicamenta creata, quia etiam ipsa relatio in diuinis plus

plus habet de stabilitate, & plus habet de esse, quam quæcunque substantia creata. Relatio diuina plus habet de esse, quam qualibet substantia creata. Tom. 3.

Dictum ergo Augustini 5. de Trinitate cap. 1. *Intelligamus Deum quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum*, vnde haberi potest, quod in diuinis cetera prædicamenta transeunt in substantiam, excepta relatione, de qua possumus dicere, quod manet in diuinis, secundum suum genus, intelligendum est, quantum ad quidditatem relatiuam, quæ est referri ad aliud, quia verè in diuinis Filius per filiationem refertur ad Patrem: & Pater per paternitatem refertur ad Filium: sed quantum ad ipsum esse relationis in diuinis, relatio transit in substantiam, sicut & alia prædicamenta. Nam propter summam simplicitatem diuinam omnia transeunt in substantiam, quantum ad esse, licet relatio maneat ibi, ut relatio, quantum ad quiditatem: igitur propter hanc summam simplicitatem in diuinis, Pater est sua paternitas, & sua Deitas; & ipsa paternitas Patri est idem, quod eius Deitas. Relationes enim diuinæ sic sunt in personis, quod solum faciunt personarum distinctionem, non autem faciunt personarum compositionem, sed est ibi ita simplex persona, sicut & substantia, siue sicut & essentia. Quod non esset, si relationes illæ, secundum esse, quod habent in personis, non transirent in substantiam, simplex, siue essentia vel in diuinam essentiam; quia si hoc non esset, sequeretur quod non esset ita simplex persona, quæ constituit ex essentia diuina, & proprietate relativa, sicut est ipsa diuina essentia: sequeretur etiam, quod relationes illæ, non solum distinguenter ab opposito, sed etiam ficerent compositionem in suo supposito, quæ omnia sunt contraria Fidei nostræ, & sacre Theologie.

Amota ergo sunt dubia, & declarata est veritas questionis propositæ, videlicet, quod ad personam diuinam, quæ potest supplere vices cuiuslibet alterius personæ, vel cuiuscunque alterius suppositi, spectat, vel competit tali supposito, vel personæ aliam naturam assumere.

R E S P. A D A R G V M.  
Ad primum dicendum, quod ei, quod

est totum, non competit aliquid assumere quod faciat ad constitutionem totius, & eius, prout est huiusmodi totum, & prout habet per se esse, sed bene competit ei assumere aliquid, quod non habet per se esse; sed habet esse in ipso assumente, sicut videmus, quod suppositum aliquid, vel persona aliqua assumit cibum, non tanquam aliquid, quod habeat per se esse; sed tanquam aliquid, quod conuertitur in cibatum, sic etiam aliquid suppositum, vel aliqua persona potest acquirere scientiam, & assumere scientiam, non tanquam aliquid per se existens, sed tanquam aliquid, quod habet esse in ipso. sic persona Filii assumpsit humanitatem, non tanquam aliquid per se existens, nec tanquam aliquid, quod constituit personam eius, sed tanquam aliquid, quod substentatur in persona eius, & tanquam aliquid, quod habet esse in illa persona.

Ad secundum dicendum, quod incomunicabilitas, quæ est de ratione persone, est quasi quedam individuatione, quia (vt sona dicitur incompatuit per Boet.) persona non inuenitur in uniuersalibus, vt genus, vel species dividatur persona, sed solum in individuis habet reperiiri persona. Incommunicabilitas ergo uniuersalitatis est illa, quæ est de ratione personæ, vt hoc modo dicatur persona incommunicabilis, quia non potest predicari de pluribus suppositis, vel personis, sicut homo, qui est quoddam uniuersale, quia est quedam species, predicatur de pluribus personis, vel de pluribus suppositis humanis.

Ad tertium dicendum, quod persona diuina non supponitur naturæ humanae, sicut materia ponitur sub forma, sed quasi substantans eam, & substantando eam dividit, vt materia, vel ut substantans eam, & esse homo per substantiam, quia suæ personæ, & suo supposito habet eam unitam, & coniunctam.

Ad quartum dicendum, quod sicut diximus in solutione tertij argumenti, persona diuina non subiicitur naturæ humanae, sicut materia formæ, nec sicut substantium accidenti, vt hæc ratio quarta asserit, sed solum vt substantans eam, & vt trahens eam ad suam personalitatem. Nam si fuisset sibi ipsi derelicta illa natura humana in Christo, & non fuisset assumpta à Verbo, constituisset suum suppositum.

Assumere aliquid, dupliciter contingit, vel quod habeat per se esse, vel quod habeat in alio. totum assumere potest aliquid secundum modum, non pri-

Incommunicabilitas. & secundum uniuersalitatem, non se communicavit persona Verbi humanae naturæ.

Persona diuina non subiicitur naturæ, vel ut substantans eam dividit, ut materia, vel ut substantans eam, & esse homo per substantiam, quia suæ personæ, & suo supposito habet eam unitam, & coniunctam.

positum, & fecisset suam personam: nunc autem assumpta à Verbo, non constituit nec personam, nec suppositum, sed substantatur in supposito Verbi ab æterno in esse constituto, & producto. & per hæc patet solutio ad quintum.

## ARTIC. II.

*Vtrum assumere conueniat, vel conuenire possit naturæ diuinæ. Conclusio est affirmativa.*

D. Thom. 3. p. q. 3. art. 2. Caiet. Medina. Siluius. Cabr. ibidem. Suarez. disp. 12. sect. 2. Val. tom. 4. punct. 1. Vasquez disp. 26. Aluarez disp. 21. Ricch. in 3. d. 5. art. 1. q. 1. D. Bonau. in 3. d. 5. art. 1. q. 1. Argent. d. 5. q. 1. art. 2.

**E C V N D O** quæritur. Vtrum assumere conueniat, vel conuenire possit ipsi naturæ diuinæ. Et videtur, quod non: Quia quod conuenit naturæ diuinæ, cùm natura diuina sit quid commune tribus personis, conuenit omnibus tribus personis, sed assumere non conuenit nec Patri, nec Spiritui Sancto: ergo &c.

Præterea. Actus personales, qui sunt gignere, & gigni, & procedere, non competit diuinæ naturæ, quia secundum Magistrum, quædam summa res est ipsa diuina essentia, vel natura, quæ nec gignit, nec gignitur, nec procedit. Cùm ergo assumere (vt dictum est) sit actus personalis, non poterit competere diuinæ naturæ.

Præterea. Verbum, quia assumpsit carnem, dicitur caro factum: sed propriè non potest dici de diuina natura, quod sit caro facta: ergo &c.

Præterea. Ratione assumptionis fit communicatio idiomatum, quia Dei Filius dicitur passus, & homo ille dicitur creasse stellas; sed communicatio idiomatum non competit naturæ diuinæ, quia natura diuina non dicitur passa: ergo &c.

Præterea. Assumere idem est, quod ad se sumere, vel ad se trahere: sed natura diuina non traxit humanam naturam ad

## PARS II.

A se, quod fieret vna natura cum illa, quia non est facta vnio in natura, sed in persona: ergo &c.

**I N C O N T R A R I V M** est, quod habetur ab Augustino in littera: *Forma Dei accepit formam serui, & nomine formæ, secundum Magistrum in littera intelligitur natura; ergo natura Dei assumpsit naturam serui.*

Præterea. Quicquid est vnitum in Christo, potest dici assumptum ab eo, cui est vnitum: sed natura humana est vnta naturæ diuinæ in Christo; ergo hæc natura potest diei assumpta ab illa.

## RESOLVATIO.

*Affumere tripliciter sumitur de potentia.* Dei ordinaria: vel ad aliquid: vel ad se: vel ad se, & in se. Primo modo competit Patri, & Spiritui Sancto. Secundo modo naturæ diuinæ. Tertio modo personæ Verbi. De potentia autem Dei absoluta, quia potuit fieri vnio immediate ad naturam, hoc pacto omnes diuinæ persona humanam naturam assumpserint.

**R E S P O N D E O** dicendum, quod de assumptione possumus loqui duplenter, vel secundum potentiam absolutam, quid Deus facere potuit, absolutè loquendo, vel secundum Dei potentiam ordinatam, prout Deus constituit, & ordinavit ab æterno, quid deberet assumere, & à quo deberet fieri ista assumptionis. Primo enim modo, & quantum ad Dei potentiam absolutam, aliqua assumptionis, tam in natura, quam in persona nec est facta, nec est possibilis, aliqua est possibilis, sed non est facta. Nam semper assumptionis terminatur ad aliquam unionem, sed de unione, vel in natura, vel in persona, possumus loqui duplenter, vel generaliter accipiendo unionem quocunque modo mediate, vel immediatè; vel specialiter accipiendo unionem hoc, vel illo modo.

Primo quidem modo accipiendo unionem generaliter, non est possibile fieri unionem in persona, quin nullo modo, nec mediate, nec immediatè fiat vnio in natura, nec è conuersò. Quantum ergo ad potentiam Dei absolutam tam in natura,

tura, quām in persona aliqua vnio est pos-  
sibilis, quæ non est facta. In persona qui-  
dem, quia potuit vniri carni, & humānæ  
naturæ, & fieri homo tām Pater, quām  
Spiritus Sanctus, quorum neuter est fa-  
ctus homo. In natura vero, quia si consi-  
deramus vniōem factam, dicemus vniōem  
factam esse immediatè, & primo in  
persona, & mediante persona factam esse  
vniōem in natura. Terminata est enim  
vnio ad personam Filij, quia Filius, qui  
secundum naturam diuinam ab æterno  
erat Deus, & in Deitate Filius, secun-  
dum humanam naturam, quam sibi as-  
sumpsit, & vniuit, factus est in humani-  
tate homo, & hominis Filius. Et quia  
facta est huiusmodi vnio in persona diuina,  
quæ non est sine sua natura diuina,  
oportet quòd mediante persona sit facta  
vnio etiam in natura.

Potuit tamen secundum Dei poten-  
tiam absolutam fieri vnio è conuersò, ita  
quod immediatè fieret vnio in natura, &  
mediante natura fieret vnio non solum in  
persona, sed etiam in omnibus tribus per-  
sonis. Potuerunt enim omnes tres perso-  
næ accipere vnam, & eandem naturam  
humanam, & sicut sunt omnes tres per-  
sonæ in vna Deitate unus Deus, sic essent  
omnes tres personæ in vna humanitate  
unus homo. Et hoc valet ad intelligen-  
dum quæstionem superius positam in  
prima distinctione. Si vna persona diuina  
assumeret plures naturashumanas; Vtrum  
esset vna illa persona, unus homo, vel  
plures homines. Nam secundum quod  
communiter ponitur, si omnes tres perso-  
næ acciperent vnam, & eandem humani-  
tatem, omnes ille tres personæ essent in  
illa humanitate unus homo, sicut sunt in

Dei potentia  
Dei absolu-  
ta vnio im-  
mediatè po-  
terat fieri  
in natura;  
& mediæ  
in persona;  
sive in per-  
sonis.

Si omnes  
tres perso-  
næ alium  
eandem  
numero hu-  
manitatē  
essent unus  
homo, sicut  
in Deitate  
sunt unus  
Deus.

A conuersò, quia nihil factum est, nec fit,  
nec fiet, nisi secundum quod Deus ab  
æterno ordinavit, & statuit. Et secundum  
hunc modum loquitur Damascen. lib. 3.  
cap. 3. *Nec enim generatus est, nec est, nec  
vñquam generabitur aliis Christus ex  
Deitate, & humanitate Deus perfectus  
idem, & homo factus.*

Ad soluendum ergo quæstionem pro-  
positam. Vtrum diuinæ naturæ competat  
assumere, loquendo de Dei potentia or-  
dinata, secundum quam non fit, nisi  
quòd Deus ab æterno prævidit, & ordina-  
vit, bona est communis distinctio, vide-  
licet quòd assumere tripliciter potest ac-  
cipi, vt vno modo accipiatur assumere,  
prout idem est, quod ad aliquid, vel ad  
aliquam sumere; & hoc modo sumere  
competit Patri, & Spiritui Sancto, qui  
assumperunt, & vniuerunt humanam na-  
turam ad aliquid, idest ad diuinam, & ad  
aliquam, idest ad personam Filij. Est enī  
natura humana vnta tām diuinæ naturæ,  
quām personæ Filij; aliter tamen & ali-  
ter, quia personæ Filij est vnta immediatè,  
sed naturæ diuinæ est vnta hoc modo  
mediatè, quia mediante persona diuina,  
humana natura est vnta naturæ diuinæ,  
ita quod hoc dictum, immediatè impor-  
tat solum quandam prioritatem, sed hoc  
non tollit loquutionis veritatem, quia  
licet Triangulus primò habeat tres, verè  
tamen, & simpliciter quilibet species  
trianguli habet tres: sic verè, & simpi-  
citer loquendo, natura humana est vnta  
naturæ diuinæ, licet hęc vnio ad natu-  
ram, facta sit mediante vniōe ad per-  
sonam. Secundo modo potest accipi assu-  
mere, prout idem est, quod ad se sumere,  
& sic assumere, sic competit diuinæ na-  
turæ, quod non competit Patri, nec Spi-  
ritui Sancto. Nam natura diuina ad se  
sumpsit, & sibi vniuit naturam humānæ.  
Tertio modo potest accipi assumere,  
prout idem est, quod ad se, & in se sume-  
re, & sic assumere competit solum perso-  
næ Filij, quia sola persona Filij ad se, idest  
ad suam personam, & in se, idest in sua  
persona assumpsit naturam humānæ.  
Sed natura diuina ita assumpsit ad se  
quòd non assumpsit eam in se, quia non  
assumpsit eam immediatè; Persona au-

Assumere  
sumitur tri-  
pliciter.

Personæ Pa-  
tris, & Spi-  
ritus S. assu-  
perunt ad  
aliquid na-  
turam diu-  
inæ scilicet  
ad se, sed Pi-  
lius ad se,  
& in se.

tem Filij assumpsit eam ad se , & in se , A quia assumpsit eam immediatè , vel mediante se .

## RESP. AD ARGVM.

*Aliqua cō-  
veniunt natu-  
ræ diuinæ  
dupli-iter,  
vel sūm se,  
vel ratione  
personæ ar-  
gumentum  
concludit  
primo mo-  
do: sed assu-  
mēre conve-  
nit naturæ  
ratione per  
sonæ.*

Ad primum dicendum , quòd argumentum concludit verum , quantum ad ea , quæ conueniunt naturæ diuinæ secundum se ; sed quæ conueniunt naturæ diuinæ , mediante aliqua persona , sicut est in proposito , non oportet quòd conueniant cuilibet personæ .

Ad secundum dicendum , quòd non quicquid est vniū humanæ naturæ est homo , loquendo in abstracto , licet posset dici homo in concreto . Nam verè albedo est humanitati vniata , si homo sit albus , tamen propter talem vniōnem non potest dici in abstracto , quòd albedo sit homo , potest tamen dici in concreto , quòd album sit homo : sic & in proposito verè humanitas est vniata Deitati , tamen in abstracto non potest propriè dici , quòd Deitas sit homo , vel quòd sit facta homo , in concreto tamen illa conceditur , videlicet Deus est homo , & est factus homo . Est tamen magis ista concedenda : Deitas est homo , quām ista humanitas est Deus , quia persona Filij , in qua per se , & primò facta est talis vniō , est sua Deitas , sed non est sua humanitas , ideo loquutione non formalī , sed per identitatem posset concedi : Deitas est homo ; sed nec loquutione formalī , nec per identitatem concedi debet , quòd humanitas à Verbo assumpta sit Deus .

*Cōmuni-  
catio idioma-  
tum dupli-  
citer sum po-  
tens , in con-  
creto , vel  
in abstra-  
cto : primo  
modo cōce-  
ditur , non  
secundo , ita  
dicendū ad  
quartum.*

Ad tertium dicendum , quòd communicatio idiomatum in Christo fit ratione vniōnis in supposito , & ad suppositum , non ratione vniōnis in natura , vel ad naturam , & ideo tales loquutiones recipiuntur in concreto , in quibus etiam , loquendo formaliter , suppositum implicatur . Propter quod diximus , quòd *Verbum caro factum est* , idest factum est homo . & quòd Deus factus est caro , idest factus est homo ; non autem concedimus in abstracto , quòd Deitas facta sit caro . Et per hoc patet solutio ad quartum , quia assignata est causa , quare ita communī-

catio idiomatum non fit in abstracto , sed in concreto , quia multiplicatio suppositi , in quo per se , & primò facta est talis vniō , non fuit formaliter per abstracta , sed per concreta .

Ad quintum dicendum , quòd naturæ diuinæ vniuit humanam ad se , sed non in se , quia facta est talis vniō per se , & immediatè non in natura , sed in suo supposito .

## ARTIC. III.

*Vtrum , circumscriptis personis , possit  
competere diuinæ naturæ assume-  
re . Conclusio est affirmativa.*

D. Thom. vbi sup.q.3. art.3. Caiet. Medina. Silvius. Suarez. Nazar. ibid. controv. vnicā. Valentia punct.5. Ricch. in 3.d.5.ar.1.q.2.D. Bon. d.5.ar.1.q.5. Alenf. 3.p. q.7.m.3.

**E**R T I O queritur . Vtrum circumscriptis personis , assumere possit competere diuinæ naturæ . Et videtur quòd non . Quia naturæ sine suppositis non videatur habere esse reale , sed solum secundum intellectum , & secundum contemplationem ; sed naturæ sic sumptu non competit agere ; assumere autem est quoddam agere ; ergo &c.

Præterea . Actiones sunt suppositorum , prout potest probari per Philosophum in 1. de Anima : *Anima non intelligit , sed anim. t. c. homo per animam* ; cùm ergo assumere sit quoddam agere : ergo &c.

Præterea . Filius propter hoc , quòd assumpsit carnem , dicitur missus in carnem : sed naturæ non competit mitti , cùm Pater non dicatur missus , quia non est ab alio , vt potest haberi ab August. 2. de Trinit. D.P. Aug. 1. cap. 5. cùm ergo esse ab alio non competit diuinæ essentiæ , vel naturæ : ergo &c.

Præterea . Oportet , quòd assumptio terminetur ad aliquam vniōnem : cùm ergo dicatur vniōnem non esse factam in natura , sed in persona , videtur , quòd circumscriptis personis , natura non possit aliquid assumere , quia illa assumptio

*Natura di-  
uinæ assump-  
tio huma-  
nam ad se :  
sed supposi-  
tum assump-  
tio ad se .  
& in se .*

Arist. 1. de  
anim. t. c.  
13. & 14.

D.P. Aug. 1.  
de Trin. 6.

ptio non terminaretur ad aliquam vnio- A  
nem..

**I N C O N T R A R I V M** est, quia Angelus Luc. i. probauit incarnationem per Dei potentiam, dicens: *Non est impossibile apud Deum omne verbum: sed circumscriptis personis adhuc in essentia remanet omnipotentia: ergo &c.*

**P ræterea.** Damascen.lib.3. cap.1. ait: **Damascen. lib. 3.c.1.** *Vnionem factam ad carnem per diuinum amorem, & per huiusmodi amorem declaratur magnum pelagus diuinæ clementiæ; sed circumscriptis personis adhuc in diuina essentia intelligitur amor ad hominem suum plasma: ergo &c.*

## R E S O L V T I O .

*Diuinæ naturæ, circumscriptis personis, de potentia Dei absolute competere posset assumere immediate, sicut modò ei competit mediante persona Filij, quia vnio posset ad ipsam immediate fieri, dummodo abstractio personarum fiat secundum esse formale tantum: at si fiat secundum esse reale, vel à tribus personis relativis, vt ponunt Catholici, vel ab una absoluta, vel Gentiles, sic, cum non remaneat natura, nisi apud intellectum, ei assumere, etiam de potentia Dei absolute, conuenire non potest.*

**Q u e s t i o n e** nō  
Inveniatur ad  
potentiam  
Dei ordinata-  
riam: sed  
extenditur  
ad potentiam  
Dei absolu-  
tam.

R E S P O N D E O dicendum, quod oportet hanc questionem verificari, secundum Dei potentiam absolutam, quia si volumus eam restringere ad Dei potentiam ordinatam, secundum quam, vt probauimus per Damasc. non generabitur alius Christus, & nunquam fiet talis vnio noua humanitatis ad Deitatem, vel è conuerso, cum illa vnio sit per se & primò facta in persona, non in natura, plana ergo hoc modo esset solutio, quod circumscriptis personis, vel etiam circumscripta persona Filij sola, non esset possibilis talis vnio, & non posset ipsi naturæ, secundum se competere, sed quia, vt patet ex questione præcedenti, sicut facta est vnio in persona, & mediante persona facta est in natura, sic secundum Dei potentiam absolutam fieri potuit, quod ipsa natura diuina, immediate vniretur na-

turæ humanæ, & mediante vnione facta ad naturam diuinam, potuisse fieri vnio ad omnes personas. Ideo loquendo de hac Dei potentia absoluta, meritò dubitatur, Vtrum, circumscriptis personis, posset competere assumere ipsi naturæ diuinæ.

Ad cuius evidentiam sciendum, quod de personis, vel de suppositis diuinis alium intellectum habent fideles Catholici, & alium Gentiles. Nam Catholici per diuinas perlitas, vel per diuina supposita intelligunt diuinam essentiam, vel naturam, cum aliqua proprietate relativa. Et inde est, quod in diuinis ponunt pluralitatem personalem, quia licet quantum ad diuinam essentiam, vel naturam secundum se, non possit in diuinis esse distinctio, est tamen ibi distinctio, quantum ad proprietates relativas, vt hoc modo verificetur dictum Augustini 15.de Trin.cap. 14. *Verbum Dei Patris vniigenitus Filius, per omnia Patri similis est, & aequalis, Deus de Deo, lumen de lumine, & hoc omnino quod Pater, non tamen Pater, quia iste Filius, ille Pater.* Secundum hunc etiam modum loquitur Boetius in lib. de Trinit. vt supra diximus, *Substantia continet unitatem, & relatio multiplicat Trinitatem.* Sed Gentiles intelligunt diuinam essentiam cum constitutione suppositi absoluti. Diuina ergo essentia abstractis personis, vel suppositis, id est considerata, prout non constituit vnum, aliquod suppositum absolutum, vt eam intelligunt Gentiles, vel prout non constituit plura supposita relata, est considerare eam, prout non habet esse reale, sed prout habet esse secundum intellectum tantum,

D & secundum nudam contemplationem, secundum quem modum loquitur Damascen. generaliter de natura lib. 3. cap. 11. dicens: *Natura nuda contemplatione cogitatur secundum seipsum, & vt non subsistit.* id est non habet esse reale, sed vt habet esse, secundum contemplationem, & apud intellectum. Abstractis ergo personis, vel suppositis, vel quod idem est, considerare naturam, vt habet esse abstractum à personis, vel à suppositis, est considerare eam, non vt habet esse secundum realem existentiam, sed secundum nudam

D. P. Aug.  
15 de Trin.  
c. 14.

Gentiles in  
telligent di  
uinam esen  
tiam cù cō  
stitutione  
suppositi ab  
soluti.

Natura ab  
stracta à  
personis, nō  
habet esse  
secundū rea  
lem existen  
tiā, sed  
solum in  
intellectu.

dam contemplationem, & vt habet esse apud intellectum. Et quia hoc modo considerata non competit ei agere, vel operari, cum assumere quandam operationem dicat, possumus concedere, vt etiam communiter dicitur, quod naturae sic acceptae, vel sic consideratae non competit assumere. Sed si volumus loqui de natura, non vt habet esse sine personis, sed vt habet esse cum personis, scilicet quatenus formaliter alia est consideratio naturae, quae est consideratio absoluta, & alia personae, quae est consideratio relativa, sic assumere, potest competere naturae immediatè, loquendo de Dei potentia absoluta, absque eo, quod immediatè competit ipsis personis, vel alicui personarum, vt est per habita declaratum.

## RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quod hoc, quod est assumere, generaliter loquendo non potest competere naturae sine personis, nec è conuerso, quia si competeteret naturae immediatè, saltem competeteret personis mediatis, & è conuerso, si competeteret personae immediatè, competeteret naturae mediatis: quia natura non est sine personis, nec aliqua personarum est sine sua natura. Ad formam autem arguendi, quod natura, abstractis personis non habet esse, nisi apud intellectum, patet solutio per iam dicta, quia naturae, vt habet esse apud intellectum tantum, non competit agere, nec assumere. Abstractio ergo potest dupliciter sumi, vel secundum differentiam formalem, quam habet natura, quia significat formaliter quid absolutum respectu personarum, quae significant quid relatum, sic assumere poterit competere naturae immediatè absque eo, quod immediatè competit personis; sed si accipiatur huiusmodi abstractio naturae, prout non habet esse reale, sed secundum intellectum tantum, sic, vt patet, non competit ei assumere.

Ad secundum dicendum, quod actiones productivæ personarum, prout una persona producit, & alia producitur,

*Abstractio  
dupliciter  
sumitur, vel  
secundum ef-  
fe formale;  
vel secundum  
esse reale:  
primo mo-  
do compe-  
tere potest  
ei assumere  
immediatè;  
secundo mo-  
do non.*

A sunt suppositorum, quia diuina' essentia, vel natura, nec gignit, nec gignitur, nec procedit, sed actiones transeuntes in exteriorem materiam sunt ipsius naturae diuinæ. Et ideo inseparabilia sunt opera Trinitatis, quia habent inseparabilem substantiam, vel naturam: operatio ergo ipsa, si sit absoluta, siue sit transiens, vt creare, vel vniire, siue non transiens, vt intelligere, & velle, est ipsius naturae, & competit toti Trinitati: sed terminus ipsius actionis, & potissimum terminus immediatus, potest esse tam natura, quam persona: omnes enim tres personae operatae sunt incarnationem illam, vel vniō ad carnem, tamen illa vniō immediatè terminata est ad solam personam Filii; potuisset tamen de potentia Dei absolute terminari immediatè ad naturam diuinam, & competere toti Trinitati, quo pacto natura diuina esset immediatè unita carni, & quia est communis tribus personis huiusmodi vniō per vnam naturam diuinam competeret omnibus tribus personis diuinis, & essent omnes tres personae unus homo in humanitate, sicut sunt unus Deus in Deitate.

C Ad tertium dicendum, quod missio *Quod perso-  
na incarna-  
ta mitatur  
non est ne-  
cessaria, ut fai-  
so supponit  
argumentum.*

Ad quartum dicendum, quod licet vniō non sit facta in natura, tamen cogimur concedere, quod vniō sit facta ad naturam, quia ad naturam diuinam unita est humana natura; sed hoc fuit mediante persona; potuisset tamen hoc esse è conuerso, quantum est de Dei potentia absolute, quia potuisset præfata vniō immediatè terminari ad naturam, & mediante natura ad personas.



## DISTINCTIONIS V.

Pars Tertia Principalis.

## QVAESTIO VNICA.

De ipsa re assumpta.



E INDE quæritur de tertio principali, scilicet de ipsa re assumpta. Circa quod quæruntur duo. Primo, Vtrum res assumpta sit natura. Secundo, Vtrum res assumpta sit persona. Mouent tamen scripta communia specialem quæstionem de Anima, vtrum possit dici persona: sed de hoc in prima distinctione, quando quæsiuimus de opinione Hugonis, qui totam personalitatem attribuebat animæ rationali, Vtrum sit eius opinio vera, sufficienter est dictum.

## ARTIC. I.

*Utrum natura humana possit dici assumpta. Conclusio est affirmativa.*

D.Bonau. in 3.d.9.art.1. q.1. Alen f.3.p.q.4.  
memb.3.



D primum sic procedit, videtur, quod natura, & specialiter natura humana non possit dici assumpta, quia ( vt patet per Boet.in lib. De duabus naturis ) *Natura*, vt hic de ea loquimur, *est unumquodque informans specifica differentia*. Et vt patet per Damasc.lib.3.c. 11. Deus non assumpsit naturam humana secundum specificam differentiam, sed accepit eam, secundum esse individuale, & in atomo, ergo &c.

Aegid.super iii.Sent.

A Præterea. Quod assumitur, oportet præexistere assumptioni, & vniōni: sed natura humana non præexistebat illi vniōni, vel assumptioni, quia statim, cum dixit Virgo, *Ecce ancilla Domini*, fuit simul in utero Verbum caro: ergo &c.

Præterea. Natura humana est ipsa humanitas: & humanitas non potest esse sine homine: sed illud assumptum fuit homo: ergo &c.

B Præterea. Assumptio terminatur ad vniōnem: sed in vniōne idem est vniens, & vnitum: si ergo natura humana esset assumpta, & esset vniata Verbo, esset ipsum Verbum vniens, cum idem sit vniens & vnitum: hoc est falsum: ergo &c.

IN CONTRARIUM est Augustinus de fide ad Petrum, quod Deus naturam humanam assumpsit in unitatem personæ.

Præterea. Ad Philipp. 2. dicitur de Christo, *Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens*, sed per formam serui intelligitur ipsa natura humana: ergo &c.

Præterea. Per assumptionem illam, Deus factus est homo: sed non potuit esse homo sine humana natura: ergo &c.

## RESOLVTIO.

*Naturæ à Christo assumptæ conueniunt omnes septem modi accipiendi naturam secundum Arist. s. Met. cap. de natura. & aliqui ex modis positis à Boetio in lib. De duabus naturis, & una persona Christi: ideo dicta natura potest dici assumpta.*

RESPONDEO dicendum, quod vt supra patuit per Philosophum in 5. Metaph. Natura accipitur septem modis; nam tribus modis accipitur natura pro ipsis accidentibus naturalibus, vt primus modus accipiendi naturam sit, prout ipsa generatio nascentium dicitur natura, sed constat, quod generatio est quoddam accidens naturale, quia est quidam motus, vel mutatio naturalis. Ex hac autem prima acceptione habuit ortum acceptio secunda, vt quia generatio naturalis dicitur natura, ipsæ virtutes actiuae, & passiuæ, per quas fit generatio naturalis, possunt dici natura. Verum quia non

Arist. s. Metaph. c. de natura.

T solūm

scilicet generatio est rebus generabilibus naturalis, sed etiam ipse locus, quia gravis naturaliter sunt deorsum, & levia sursum, inde est, quod ipsa gravitas, quae est principium motus in grauibus, potest dici natura grauium, & ipsa levitas natura leuium. Et sicut tribus modis accipitur natura pro accidentibus naturalibus, sic quatuor modis accipitur natura pro substantijs naturalibus, duobus pro materia proxima, & remota, & duabus pro forma partis, quae est anima, & pro forma totius, quae est humanitas: omnes autem hos septem modos possimus adaptare ad naturam assumptam a Christo: nam in Christo natura assumpta potest dici natura, prout generatio naturalis dicitur natura; ipse enim utroque modo est genitus secundum naturam, & supra naturam: secundum naturam, in quantum stetit nouem mensibus, sicut & alij homines, supra naturam, quia non virili semine, sed Spiritu Sancto conceputus est. Ideo Damascen. lib. 3. cap. 7. ait de Christo, quod natus est propter nos, prout nos redemit, secundum nos, quia natus est ex muliere, & tanto tempore sicut nos.

Secundò id, quod assumpsit Christus potest dici natura, prout natura dicitur de virtutibus naturalibus actiuis, & passiuis; nam ipse habuit in corpore suo virtutes actiuae, & passiuae, sicut ceteri homines. Tertiò quod assumpsit Christus, potest dici natura, prout gravitas in grauibus, quae est principium motus eorum dicitur eorum natura, quia ipse habuit corpus graue, sicut & alij homines: sed si super aquas siccis pedibus ambulauit, hoc non fuit ex natura sui corporis grauis, sed ex virtute Deitatis, sicut quando ieunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus priusquam esuriret, & postea esurijt, non fuit ex virtutibus actiuis, & passiuis, quas habebat in corpore adhuc passibili, & mortali, sed ex potentia Deitatis. Omnes ergo tres modi accipiendi naturam, prout natura accipitur pro ipsis accidentibus naturalibus, competunt ipsis Christo, quantum ad id, quod assumpsit de massa nostra, vel de proprietatibus naturalibus nostris.

Sed sicut adaptauimus tres modos ac-

Natura tripli-  
citer di-  
citur de ac-  
cidentibus,  
& quadrupli-  
citer de  
substantijs,

Christus di-  
citur geni-  
tus secundum  
naturam, &  
supra natu-  
ram.

D. Damasc.  
lib. 3. c. 7.

Qua virtu-  
te Christus  
super aquas  
nudis pedi-  
bus ambu-  
lauit.

cipiendi naturam ad id, quod assumpsit Christus de proprietatibus nostris naturalibus, sic possumus adaptare alios quatuor modos accipiendi naturam, prout natura dicitur de ipsa substantia: nam natura dicitur substantia quatuor modis; duabus enim modis dicitur natura substantia, accipiendo substantiam pro materia, quia materia potest dici natura rei, tam propinqua, quam remota, ut & est vasorum & eorum tanquam materia propinqua, quia ex ære, tanquam ex propinqua materia fiunt omnia huiusmodi vasa. Sed natura vasorum & eorum tanquam materia remota est aqua, quia tam æris, quam aliorum metallorum liquabilem, materia dicitur esse aqua. Nam ut dicitur in praefato 5. Metaph. & ut habetur 4. lib. Meteor. materia liquabilem est aqua. Aduertendum autem, quod Philosophus loquens de natura posuit exemplum in artificialibus, quia materia artificialium, tam propinqua, quam remota, potest esse aliqua substantia, & aliqua natura, sed forma artificialium nunquam est substantia, vel natura, sed semper est accidentis.

Declaratum est ergo, quomodo substantia duobus modis potest dici natura, accipiendo substantiam pro materia, quae potest esse propinqua, vel remota; sic etiam facile est declarare quomodo substantia potest dici natura duobus modis, accipiendo substantiam pro forma, quia duplamente potest accipi forma, vel pro forma partis, siue pro forma, quae est pars, sicut anima rationalis dicitur forma hominis, vel pro forma totius, siue pro forma, quae est totum, sicut ipsa humanitas, vel ipsa natura humana dicitur forma hominis: omnes autem hos quatuor modos, possimus adaptare ad ea, quae assumpsit Christus de natura nostra, ut sanguines scilicet Virginis, sicut illud, quod assumpsit Christus tanquam materia remota, quia de purissimis sanguinibus Virginis formata est caro Christi, ut dicit Damasc. lib. 3. c. 2. Sed caro Christi formata ex talibus sanguinibus potest dici id, quod assumpsit Christus de natura nostra, tanquam materia propinqua. Et sicut duobus modis potest substantia dici natura, quam assumpsit Christus, accipiendo substantiam pro mate-

Natura qua-  
tuor modis  
dicitur sub-  
stantia.

Arist. 4. Me-  
teor. t. e. 42

materia, sic duobus modis substantia, quam accepit Christus de nostro; potest dici natura, accipiendo substantiam pro forma; nam Christus assumpsit naturam nostram, quia assumpsit animam rationalem, quae est forma partis. Item Christus assumpsit naturam nostram, quia assumpsit humanitatem, vel naturam humanam nostram, quae est forma totius.

*Quod Christus assumpsit, dicitur natura septem modis.*

Patet ergo, quomodo res assumpta à Christo potest dici natura septem modis accipiendi naturam, sicut accepit eam. Philosophus in 5. Metaphys. cap. de natura. Est autem aduertendum, quod sicut ad rem assumptam à Christo adaptavimus septem modos naturae positos à Philosopho in 5. sic possemus adaptare aliquos modos naturae traditos à Boetio in libro De duabus naturis; non tamen possemus adaptare omnes illos modos traditos à Boetio, quia secundus modus ab eo traditus, quod natura est id, quod potest agere, vel pati, magis accipitur ibi natura pro supposito, quam pro significacione propria naturae.

*Secundus modus recipie di naturam sicut Boet. non potest conuenire naturae à Christo assumpte, propriè loquendo.*

## RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quod genus, species, differentia, dicunt secundas intentiones, tamen illis secundis intentiōnibus respondent ipsae res, quae pertinent ad intentiones primas, quia licet species sit intention secunda, homo tamen, qui est res, est, qui supponitur huic secundae intentioni, pertinetq. ad intentionem primam. Sic etiam, licet differentia sit intention secunda, natura tamen humana, quae est forma totius, vel anima rationalis, quae est forma partis, & quae potest huic intentioni supponi tanquam res, pertinet ad primam intentionem. Boetius ergo ibi loquitur de differentia, non ut stat pro secunda intentione, sed prout includit rem ipsam, & intentionem primam.

*Specifica differentia dupliciter sumptuosa, vel pro secunda intentione tantum sensu prima, vel cū inclusione primæ intentionis, & rei subiectæ, hoc secundo modo intelligitur Boet. non primo.*

Ad secundum dicendum, quod sufficit, quod præexistat secundum intellectum, vel secundum naturalem intelligentiam, non autem oportet, quod præexistat duratione, vel tempore: non enim duratione, vel tempore prius fuit illa humana natura, quam esset assumpta à Ver-

Aegid. super iij. Sent.

A bo, tamen naturali intelligentia, non potuit Verbum assumere naturam humana, nisi prius intelligamus illam fuisse talem naturam, quam assumptam à Verbo, & hoc sufficit, vt ad propositum spectat.

Ad tertium dicendum, quod licet humanitas non sit sine homine, tamen cum nullus sit homo, nisi per humanitatem, prius intelligimus illam humanitatem esse, & postea intelligimus aliquid suppositum fieri hominem, per humanitatem illam: hoc etiam poterit intelligi dupl. citer, quia illud suppositum, vel constituetur in esse per humanitatem simpliciter, & sic se habet humanitas ad quemlibet hominem purum; vel non constituetur illud suppositum in esse simpliciter, sed substentabitur in supposito iam in esse constituto, & sic se habet humanitas ad solum Christum. Non ergo est humanitas sine homine, quia nullus est homo, nisi per humanitatem, sed non oportet, quod humanitates constituant suum suppositum in esse simpliciter, sed sufficit, quod constituant suum suppositum quantum ad esse hoc, vel ad esse illud: nam etiam albedo constituit suum suppositum non quantum ad esse simpliciter, quia patet suppositum præexistere albedini, sed constituit ipsum quantum ad esse album, quia nullum suppositum habet esse album ante suam albedinem; sic etiam & suppositum Verbi præexistebat suæ humanitati, sed non habuit esse homo ante suam humanitatem; & hoc sufficit ad tollendam vim, & virtutem argumenti.

Ad quartum dicendum, quod vno potest dicere ipsam relationem, & tunc vniens est vnitum, quia omne relatum refertur, & hoc modo non dicit actionem, sed dicit terminationem, secundum quem modum verum est, quod illud, ad quod terminatur vno, semper dicitur vnitum, sed si vnire dicat ipsam actionem, patet falsum esse vniensem esse vnitum, quia

Pater, & Spiritus Sanctus vniuersant carnem Filio: ipsi tamen non sunt incarnati.

*Humanitas sit esse, non est sine homine, tamē sicut naturam prius intellegimus illā humanitatē esse, & postea intelligimus aliquid suppositum fieri hominem.*

*Vno dupli citer consti deratur, vt dicit relationem, & vt dicit actionem, primo modo vniens potest dici vnitum, non secundo.*

*Præexistere duplicitate, tempore, vel natura præexistit, quod secundo modo, non primo.*

duratione, vel tempore prius fuit illa humana natura, quam esset assumpta à Ver-

Aegid. super iij. Sent.

ARTIC. I.

T 2 AR.